

Dissertatio academica de principiis / proposita ab Antonio Deidier ... ; Sub hac verborum serie. ; An in arte medicâ principiorum & elementorum cognitio sit absolutè necessaria, & ; Quam propugnabit Joannes VVyss ... in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano. Die mensis Octobris an. 1707. ab horâ octavâ ad meridiem. ; Pro prima Apollinari Laurea consequendâ.

Contributors

Deidier, Antoine, -1746.

Wyss, Joannes.

Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspelii : Apud Honoratum Pech Regis typograph, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fbmrv8na>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO ACADEMICA *ad usum de joannis* PRINCIPIIS PROPOSITA AB ANTONIO DEIDIER

Regis Consiliario & Medico, nec non in alma
Monspeliensi Medicorum Academiâ Chymicæ
Professore Regio.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An in arte medicâ Principiorum & Elementorum cognitio sit absolute necessaria, & præcipua Temperamentorum differentia ex Elementorum mixtione, vel Principiorum proportione sint deducenda.

Quam propugnabit JOANNES VVYSS
Helvetiæ-Bernas Artium Liberalium Magister &
jamdudum Medicinæ Studiosus, in Augustissimo
Monspeliensis Apollinis Fano. Die mensis
Octobris an. 1707. ab horâ octavâ ad Meridiem.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA

Bouillet Consequendâ *medicinae*



MONSPELIÆ;

Apud HONORATUM PECH Regis Typograph.

Doctori Dideri

1860-1861

**C E A R I S S I M I S
I L L U S T R I S S I M I S Q U E V I R I S**

D. D.

S A M V E L I V V Y S S

Paterno Avo minùs longèvâ ætate rerumque usu & experienciâ, quâm spectatâ virtute inclytisque meritis venerando, superioris Nosocomij nec non prioris Templi Bernensium quondam Præfecto vigilantissimo,

E T

J O A N N I F R A N C I S C O V V Y S S

Patri suo colendissimo, Reipublicæ Bernensis Consiliario prudentissimo, emerito Satrapia Thorbergensium Prætori, & bellicis difficilissime Patriæ temporibus annonæ reique frumentariæ Ordinatori & Præfecto.

H O C P R I M U M S P E C I M E N

D. D. D.

I O A N N E S V V Y S S

Helvetiæ-Bernas.

2014.02.21 2A30

四

ΑΒΓΔΕΖΗΙΩΝΑ

卷之三

СЕВЕРНАЯ АМЕРИКА

THE PIRATE SCHOOL

22248 2213603

卷之三



DISSERTATIO ACADEMICA DE PRINCIPIIS. CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPIIS IN GENERE.



PRINCIPIORUM nomine intelligimus essentiales mixtorum partes, ex quibus proximæ illorum proprietates immediatè deducuntur: horum autem principiorum necessitas in arte Medicâ talis ac tanta est, ut nemo prima Physiologiæ ostia subintrare, aliasque theorizæ partes addiscere, vel ad ægros vocatus praxim exercere queat, nisi fuerit prius ejus

De Principiis

modi principiis ritè informatus : nec enim crudito prudentique Medico satis est, sola Morborum & Medicamentorum nomina altè cerebro insculpta servare, & genericas istorum virtutes cortice tenùs dignoscere ; debet præterea intimas Medicamentorum partes ità explorare, ut noscat exinde legitimam curativas indicaciones adimplendi methodum. Dum enim vomitum excitare, catharsim movere, sudores procreare, vel urinas pellere volumus ; varia sese produnt Emetica, Cathartica, Sudorifica, atque Diuretica, quæ omnia suos in humano corpore effectus diversimodè præstant : alia enim, salina neimpe Emetica, vomitum excitant ventriculum irritando ; alia verò, ut Emetica Antimonialia naturaliter insipida, idem efficiunt in ejusdem visceris cavitate fermentando, ipsumque ventriculum simpliciter distendendo. Inter Cathartica, dulcia reperiuntur, ut manna ; Acida ut tamarindi ; Acidodulcia, ut cassia ; Salsa, ut sal vegetabile ; Salino-sulphurea, ut resina jalappæ, & sic de cæteris. Inter Sudorifica, plurima reperiuntur Salino-acria volatilia, quæ maximum sanguinis divisionem promovent, ipsius sulphura exsolvendo, qualia sunt salia viperarum, cornu cervi & crani humani ; alia è contrà, licet fermentè vel penitus insipida sint, sudorem movent, ut Bezoardica varia, Antimonium diaphoreticum, & Antihecticon Poterii. Porrò inter Diuretica summam reperies varietatem, in praxi

diligenter observandam ; alia enim calida haud immerito vocantur , quorum usus excandescit sanguis , cujusmodi sunt cantharides & mil- lepedium pulvis , varia fixiora plantarum familia , Therebentina , ejusdemque spiritus ; alia verò frigida dicuntur Diuretica , quia sanguinis motum infringendo , urinas movent , qualia sunt acetosa , berberis , nitrum , cristallum minerale , acidique fixiores spiritus , si debitè dosi propinentur . Quod de evacuantibus dicitur , de alterantibus eadem ratione intelliges . Quæ certè omnia absque principiorum cognitione , non nisi cæco Empyricorum more tractari possunt .

Ut igitur perfectam hujusmodi principiorum cognitionem assequiamur , operæ pretium videtur tūm naturam , tūm illorum numerum definire . Atquè ut omnis circa principia tollatur terminorum æquivocatio ; quid in genere principii nomine intelligendum , perpendamus . Si Aristotelem audiamus , illa dicuntur esse corporum principia , quæ nequè ex se , nequè ex aliis , sed ex quibus reliqua omnia fiunt . Et in hoc sensu materia prima , quatenus extensa in longum , latum , & profundum , est unicum (ut paret) omnium corporum principium , cùm nequè ex se ipsâ , nequè ex alio fiat , cùmquè tamèn ex illa diversimodè modificatâ omnia constent corpora ; unde commune omnium corporum subjectum illam meritò vocare possumus .

De Principiis

Sunt & alii , qui asserunt principia esse corpora simplicissima , ex quibus reliqua omnia componuntur , & in quæ ultimò resolvuntur . Quæ quidem definitio convenit Cartesianorum Elementis , quæque proximis mixtorum principiis nullatenus convenire potest . Nihil enim aliud sunt Cartesianorum Elementa , nisi ejusdem naturæ partes , quæ ab unâ cædemque materiâ homogeneâ immediate oriuntur ; nullumque in rerum natura reperitur corpus , quod ad ejusmodi Elementa reduci nequeat : contrà verò proxima mixtorum principia verè composita sunt , fiuntque ex ipsis Cartesii Elementis . Etenim quemadmodùm ex paucis literis varia oriuntur vocabula , & ex vocabulis sermones varii ; ita ex tribus Cartesianis Elementis Chymicorum principia , & ex Chymicorum principiis licet numero paucis , infinita propè mixta concrescunt . Quod præfenti capite probandum suscipio , ad pliorem eorum , quæ dcinde dicturi sumus , intelligentiam .

Cartesius nihil pro vero admittens præter ea quæ clare ac nitidè vera percipiuntur , essentiam corporis in trinâ dimensione consistere , nullumque in rerum naturâ vacuum dari posse firmiter asserit , variisque rationum momentis exponit atque confirmat . Illud enim propria rei alicujus essentia dici debet , quod primò concipitur in re , & quo posito ponitur res , & quo sublato tollitur , atqui talis est materiam inter & extensionem connexio , ut una non possit

In Genere.

3

concipi sine alterâ , atque realiter existere. Quis enim est , qui præjudiciis liber , & intimam consulens conscientiam , non asserat materiam à trinâ in longum latum atque profundum dimensione nullatenus distinguendam esse? Nemo sanè , præsertim si advertat nullam aliam corporis ideam distinctam magis , magisque claram formari posse , quâm illam , quæ ex trinâ dimensione deducitur ; reliquis enim de tractis corporum proprietatibus , ut colore , duritie , sapore , &c. dummodò in longum , latum atque profundum patcat , corpus erit ; has verò dimensiones trinas si sustuleris , ratio vel idea corporis nulla remanebit.

Vacuum in rerum natura impossibile judicat Cartesius , ex eo quod omne spatum trinâ dimensione constet , adeoque corpus sit : præterea vacuum nihil est , ergo non existit ; alioquin nihilo concederentur existentiæ proprietates , quod quâm ridiculum sit , nemo non videt. Cùm tota materiæ natura in triplici dimensione posita sit , ea est homogenea & uniusmodi , atque omnis formarum varietas ex motu atque divisione materiæ profecta est : communem itaque materiam in ipsâ mundi origine primum creatam , deinde vehementi motu agitatem fuisse , ut rem ipsi rationi satis consentaneam , cùn Cartesio supponere liceat. Non enim possumus materiam in varias formas atque figuræ , seu in varia corpora digestam concipere , quin illius partes variis quoquæ in lo-

cis collocatæ fuerint; quod citra motum fieri nequaquam potuisset. Placet igitur sic mundi exordia mente concipere.

Communis omnium corporum materia prima in partes indefinite inæquales & diversimodè configuratas divisa fuit, adeò ut illæ nullum omnino relinquerent vacuum, & omnes sic semel divisæ partes vehementi motu concitatæ, tūm circa centrum commune, tūm singulæ circa suum quoque centrum necessariò circumactæ fuerunt; non aliter fortè ac si aquam in pelvi contentam baculo circumgas, tunc enim aqua instar vorticis movebitur, & si quæ sint in aquâ paleæ, hæ circa suum itidem centrum vertentur. Ex hac autem primâ inateriæ comminutione in partes diversæ figuræ, facilè deducitur Cartesianorum Elementorum generatio: etenim cùm continuus esset partium omnium motus, & continua alias in alias incursus, eas iterùm atque iterùm atteri necessarium erat. Hinc fiebat ut potissimum ex aliis particulæ illæ decerperentur, quæ incidentium partium impulsibus magis & frequentius exponebantur, scilicet quæ angulis extuberabant. Necesse itaque fuit iteratis collisionibus infringi ac excidere primùm acutiores angulos & margines fragiliores, qui indefinite adeò divisi fuerunt, ut tenuissimi & subtilissimi velut pulveris formam acquisierint; in quo materiæ subtilis ratio atque natura consistit. Uno eodemque tempore, continuatæ

collisione , crassiores nonnullarum partium protuberantias abradi necessum fuit , donec de rasis omnibus tuberculis , æqualis & maximè polita reddita fuerit superficies sphærica plurimorum corpusculorum , quæ secundum Elementum constituunt.

Porrò quoniam nonnullæ majoris molis & magis irregulares primæ materiæ partes nequam potuerunt sphæricam formam acquirere ; sed potius illæ propter irregularem superficiem hic atque illic invicem junctæ fuerunt ; haud parùm dissimili ratione , quâ videimus diversas & ramosas olei in aqua bullienti particulas variis in liquidi locis simul uniri : hinc suam tertium Elementum originem duxit ; adeò ut tota , quæ primum creata fuerat materia , divisa fuerit velut in triplex simplicissimi corporis genus , in subtilissimum nempè pulverem , in globulos , & in corpora diversimodè irregularia . Hinc triplex nascitur Elementum , primum videlicet , quod Cartesianorum materia subtilis vocatur , secundum materia globulosa dicitur , tertium denique & ultimum Elementum crassarum & irregularium partium nomen retinet : de quibus Elementis sìgillatum pauca dicenda veniunt.

Materia primi Elementi (quam Platonici animam mundi , Aristotelici ignem , & Alii subtiliorem aëris partem vocant) definiri potest insensibilis illa tenuissimarum particularum congeries , quæ ex mutuâ angulorum abrasio-

De Principiis

ne processit in primâ materiæ divisione. Hæc utpotè tenuissima, omnes tūm secundi, tūm tertii elementi poros veheimenti velocitate præterfluit, corporum liquiditati ac fermentationi promovendæ conducit; & lucida efficit sidera. Materia secundi Elementi est insensibilis illa globulosarum & agitatissimarum particularum congeries, quæ, recisis irregularium partium angulis, remansit. Hæc ad lucis propagationem, reflectionem, refractionem, atque colores physicè explicandos inservit. Materia denique tertii Elementi est illa congeries crassarum partium, quæ præ nimiâ mole, & propter irregulares, quibus constant, figuræ, variè concrescunt, & respectivè ad alia Elementa, non nisi difficulter moveri possunt. Hinc opaca & luci impervia nascuntur corpora, ejusmodi sunt planetæ omnes, inter quos numeratur universus terræ globus.

Terrenum huncce globum, tametsi infinitis propè mixtis ornatum videamus, ex triplici tantum mixtorum genere conflari fatentur Chymici omnes, nempe ex mineralibus, vegetabilibus, & animalibus. Mineralia vocantur mixta, quæ in visceribus terræ genita, ex illis vel sponte fluunt, ut aquæ variæ, bitumina, atque Mercurius; vel arte educuntur ut metallæ, Antimonium, Gemmæ, lapides vulgares, & salina diversi generis corpora, Alumen puta, Vitriolum, & Sal gemmeum. Vegetabilia dicuntur mixta quæ terreni ejusdem glo-

bi superficiem occupant , eidemque adhæres-
cunt , ut nutriantur , & plantæ vel arbores di-
cuntur. Animalia verò ea sunt mixta , quæ ve-
lut à principio intrinseco hūc atque illuc trans-
feruntur , sive in aquis ^{vixim} degant , ut pisces ; sive
interdùm per aëra volitent , ut aves ; sive constan-
ter supra terræ superficiem ferantur , ut ani-
malia terrestria.

Omnia autem mixta ita humanum corpus
afficiunt , ut alia ad illius incrementum atque
nutritionem inserviant , quæ alimenta dicun-
tur ; alia amissam ejusdem corporis sanitatem
restituunt , & medicamenta vocantur ; alia de-
nique mixta humanum corpus destruunt mor-
temque inducunt , qualia sunt v. g. plurima
diversi generis venena : hinc est cur vivendi
cupiditas atque necessitas nos cogat humani
corporis naturam , nec non reliquorum mix-
torum compositionem inquirere. Sed quia
compositam nullam machinam explorataam ha-
bere possumus , nisi dividatur in proximas
partes ; ita & internus mixtorum textus nun-
quam probè cognosci potest , nisi mixta dissol-
vantur in essentiales particulas , quas proxima
ipsorummet principia jure nuncupavimus , quæ-
que sunt propriatum illorum fons & origo.
Hæc autem principia commodè revocari pos-
sunt ad quinque , Spiritum nempè sive Mercuriu-
m , Sal , Aquam sive Phleginam , Oleum quod
alio nomine Sulphur vocamus , & Terram
damnataam seu Caput mortuum.

Spiritum sive Mercurium vulgares Chymici vocant congeriem illam tenuissimaruim mixti partium, quæ sibi ipsis relictae nunquam concrescent à frigore, & semper in auras dissipari nituntur, ut in vini & salis Armoniaci spiritibus videre est: Sal definiunt per congeriem earum mixti partium, quæ facile solvuntur in aquis, & ita organum gustus feriunt, ut falsedensis sensum induant: Aquæ seu Phlegmatis nomine intelligitur liquidum insipidum, inodorum & concrescibile, quod ignem extinguit: Sulphur definitur substantia pinguis & oleosa, quæ igni admotaflammam concipit: Terram denique damnatain, seu Caput mortuum nominant illam totius molem, quæ factâ aliorum Principiorum vaporatione, quasi damnata in fundo vasis remanet valde porosa, levis, nec non friabilis.

Quod autem per debitam mixtorum resolutionem hæc quinque educantur Principia, nunc unico inter plurima comprobare licet exemplo sanguinis humani, quod liquidum recenter è venis eductum & alembico vitro impositum varias exhalat partes. Etenim primò insipidum Phlegma non nullis Alkalini salis particulis refertum in vas recipiens distillatur. Quæ autem in fundo alembici, Phlegmate magnâ ex parte exhausto, viscosa & crassa remanet materies, in aliud vas, quod retorta dicitur, transmitti solet; undè vehementiori igne gradatim accenso, primum non nihil

in Genere.

II

Phlegmatis stillat, dein spiritus subrufus, tandem cum sale volatili viscosus, pinguis, & oleosus humor, quem Sulphuris aut olei nomine insignimus, egrediuntur ex retortâ, subeuntque recipientis cavitatem. Reliquum jam valde exsiccatum, nigrumque aperto igne calcinatur usque ad albedinem, tūm in vas terreum conjicitur, cui aqua fervida affunditur; hæc sale imprægnatur, tūm filtrata per chartam emporeticam, & leni calore ignis vaporata, modicam rursùs salis fixi copiam in fundo vasis relinquit. Quod remanet ex cineribus Terra est aut Caput mortuum. Itaque in sanguine quinque delitescunt principia, Aqua nimirūm sive Phlegma, quod maximā copiā per alembicum vitreum & rursùs parvā per retortam egreditur: 2°. Spiritus subrufus, 3°. Liquor oleosus atque sulphureus, qui majori vi ignis extrahitur, 4°. Sal sive volatile, quod siccâ formâ vasorum parietibus adhærescit, quodque mediâ rectificatione educi potest, sive fixum quod lixiviatione paratur, 5°. Denique Terra seu Caput mortuum à calcinatione & lixiviatione residuum. Idem prorsùs dicendum de mixtis aliis, non ex animali modo, sed & vegetabili atque minerali regno depromptis, quæ Chymicorum analysi subjiciuntur hoc interim discrimine, ut non semper in omni mixtorum analysi eodem ordine fiat Principiorum separatio. Etenim cum distillatur vinum, primò Spiritus;

secundò Phlegma , 3°. Sulphur olei fixi nomine insignitum , & ultimò mediâ lixiviatione sal fixum educitur , reliqâ Terrâ. Helleborus verò dum distillatur , in ipso distillationis principio prodit sal volatile acerrinum , quemadmodum & urina putrida calci permixta : Quæ quidem varietas ex peculiari mixtorum contextu , vel ex vario quo ignis adhibetur modo procedit : etenim ex variâ Principiorum mixtione atque proportione mirabilis emergit mixtorum varietas , nec non variæ nascuntur eoruindem proprietates : Ita v. g. dum quæritur undenam sanguis , in propriis viventium animalium vasis reconditus innatam habeat servetque liquiditatem , illud ex luxuriantis Phlegmatis & liquidi spirituosi præsentia deducimus . Videimus enim illicò ejusmodi sanguinem suam liquiditatem deponere , dum extravasatur in corpore , vel dum liberiori aëri exponitur ; quia tunc spirituosæ volatiliores dissipantur partes , quarum defectu concrescunt sulphura crassiora cum terreis atque salinis partibus , è quarum intersticiis effluit serum limpidum coagulato sanguini supernatans . Similiter dum quæritur in sanguine proxima naturalis fermentationis causa , statuimus volatiliores tūm ingestorum alimentorum , tūm liquidi spirituosi partes concurrere cum Alkalinis sanguinis salibus debitâ phlegmatis copiâ solutis , & faventibus suo modo sulphureis terreisque ejusdem partibus , unde diuturna & naturalis excitatur in sanguine

ne fermentatio ; & sic de cæteris tūm huma-
ni corporis , tūm reliquorum mixtorum prin-
cipiis. Novatores melius quām antiqui Medici
ratiocinantur in explicandis facultatibus ali-
mentorum , medicamentorum , & venenatorum
corporum ; quia mixtorum omnium proprie-
tates proximè & immediatè deducunt ex Chy-
micorum Principiis, quæ ex primo potissimum
elemento originem trahunt. Quod nunc pro-
bandum venit.

Omnia mixtorum Principia sunt veræ quan-
titates impenetrabiles & divisibles , quæ variis
collisionibus quotidiè atteruntur , nec non
vertuntur in materiam primi vel secundi Ele-
menti ; adeòque penitus destruerentur , et
universum periret mixtorum genus , nisi
rursùs ex Elementis nova generarentur Princi-
pia , quâ proportione destruuntur vetera. Quip-
pè , summus rerum omnium conditor & conser-
vator Deus ita eamdem numero etiam nunc
conservat motûs quantitatem , quam ab ini-
tio mundi universæ materiæ indidit , ut quâ
proportione certæ moventur & dividuntur
quantitates , totidem eodem tempore quies-
cant atque concrescant aliæ : Idque ita fieri
omnino necessum fuit ad totius mundi con-
servationem. Etenim si motûs defectu om-
nes illicò quiescerent quantitates divisæ ,
unica rursùs oriretur materia prima in longum ,
latum atque profundum indefinite extensa ,
adèque nulla esset quantitas divisa , nullumque

corpus ab alio distinctum, si contrà quantitates semel motæ continuò moverentur, nullæque quiescerent, omnia corpora continuatâ collisione verterentur in tenuissimum pulverem seu subtilem Cartesianorum materiam: dum ergo quantitates aliæ moventur ac dividuntur, alias quiescere atque concrescere necesse est. Sed cum omnia Principia motu atterantur, & attritione tandem in primum Elementum vertantur, debet istud partium quiete concrescere, & in alia converti.

Videamus jam quâ ratione fieri possit materia subtilis concretio ad generationem Principiorum, de quibus hic potissimum agendum incumbit. Quoniam verò regularis ac determinata debet esse cujuslibet Principii figura, eorumdemque perpolita superficies, ut inferius probabitur, dum de Principiis in particulari; Cumque non possint corpora concreta superficie perpolitâ, determinatis atque regularibus figuris donari, nisi generentur atque efformentur in propriis typis; Colligo statim subtilem Cartesianorum materiam in propriis typis concrescere ad Principiorum generationem: sed ut possit materia subtilis sese accommodare variis diversæ figuræ & magnitudinis poris, debet partibus constare quarum aliæ (licet omnes per exiguae sint) aliis longè maiores existant; adeoque nihil impedit quomodo afferere possim plurimos hic atque illic reperi typos, ita materiali subtili pervios, ut crassos,

res simul & tenuiores illius partes excipient: nihil pariter obstat quin eorumdem typorum latera tamen arctis atque ita ordinatis instruantur poris seu spiraculis, ut undequaque tenuissimas tantum & magis regulares materiae subtilis partes elabbi sinant, relictis crassioribus & irregularibus; unde sequitur istas juxta se invicem uniri atque concrescere in corpora solida, quorum extrema superficies atque figura typorum cavitati formæque respondeant. Quæ omnia ut clarius pateant, sit in primâ figurâ A B, typus dupli foramine instructus versus unum & aliud extremum A & B: tota verò hujusce typi circumferentia innumeris aliis, sed exiguisimis constet spiraculis C C C C. Hoc posito quoniam fluidum D E, subtilem Cartesianorum materiam representans, variis diversæ molis atque figuræ partibus constans propellitur versus A; fluidum illud pleno ductu totam typi cavitatem subintrabit: sed debent tenuiores hujusce fluidi partes per spiracula CC C C foras amandari, relictis intus crassioribus & irregularibus, quæ cum non possint egredi per spiracula C C C C, reflectuntur in medium typi cavitatem, & communicato tenuioribus, quas expellunt, partibus motu, aliæ aliis superstruuntur, latioribus sese contingunt superficiebus & respectivè quiescunt, adeoque constituunt solidum quoddam corpus, quale est F, G, egressum per foramen B. Simile quid tu facili negotio experiri poteris,

loco typi ductum ferreum æneumve, & matèriæ subtilis loco aquam variis onustam arenulis in experimentum vocare tentes. Tunc enim aqua undèquaque difluet per spiracula CCCC, arenulæ verò ab A, versus B protrusæ, in solidum corpus verumque lutum convertentur.

Pro variâ autem typi formâ & spiraculorum magnitudine fit corpus diversæ magnitudinis variæque soliditatis; & exinde oriuntur partes insensibiles Phlegmatis, Sulphuris, Capitis mortui & Salis acidi, quæ in propriis typis ex concretione materiæ subtilis quotidiè generantur. Ejusmodi verò materiæ subtilis concretiones potissimum in interiori terræ nucleo perfici probatur, primò ex eo quod maxima primi elementi copia proprium terreni globi centrum occupet & indesinenti motu feratur ad omnes & singulas ejusdem globi circumferentiæ partes. Patet enim ex physicis omnem primi Elementi materiam è polis cuiuscumque vorticis fluere versùs centrum, & è centro versùs omnes circumferentiæ partes. Remque ita se habere in globo terreo, probant effectus magnetici. Atqui non potest ferri materia subtilis ab intimo globi terrei centro ad omnes circumferentiæ partes, quin occurrat variis diversæ figuræ poris, præsertim dum permeat eam materiæ tertii Elementi partium congeriem, quæ constituit interiorem ejusdem globi ter-

rei crustam ; nec illos indefinitæ magnitudi-
dis atque figuræ poros permeare potest , quin
modo suprà dicto concrescat ad efformanda
diversi generis corpora , inter quæ numeran-
tur mixtorum Principia : Ergò de facto in in-
teriori Terræ nucleo potissimum concrescit
quotidiè materia subtilis ad Principiorum ge-
nerationem ; secundò Aquam , Sulphur , Sal
acidum , & Caput Mortuum majori semper
copiâ in visceribus Terræ quam alibi reperiri ,
exindè ferri ad Terrei globi superficiem & per
aëra diffundi , plurima confirmant experimen-
ta suo loco recensenda ; istud tantum hīc no-
tare sufficit , videlicet Mineralia , in visce-
ribus terræ recondita , iisdem constare Princi-
piis , quibus Vegetabilia terræ affixa nec non
Animantia omnia nutriuntur & crescunt :
Sed non possent ejusmodi Principia ita simul
concurrere ad mixtorum omnium genera-
tionem , nisi in interiori terræ nucleo ge-
nita , fermentur ad superiorem ejusdem globi
crustam , ubi Mineralia omnia ex eorumdem
Principiorum simplici permixtione formantur ;
& nisi exindè eadem Principia partim Plantarum
radices subirent , partim cum aëre misce-
rentur , nec vegetabilia nec viventium Animantium
corpora conservari possent . Quæ omnia
ut clarius concipientur , secunda oculis subjiciatur
figura universum terræ globum repræ-
sentans , cuius centrum sit A materiâ subtili
repletum , B crux interior ex irregularibus

tertii Elementi partibus respectivè quiescentibus conflata, C representet superiorem ejusdem globi crustam Mineralibus refertam, D verò erit extima ejusdem globi superficies Vegetabilibus & Animalibus variis adornata.

Cùm autem materia subtilis, ad centrum A continuò per proprios terræ polos appellens, indesinenti fluxu propellatur ad totius globi circumferentiam, debet dūm per interiorem crustam B transit, in variis poris seu typis, modo superiùs explicato concrescere in Aquam, Sal acidum, Sulphur, & Caput mortuum: quæ quatuor Principia continuato fluxu ejusdem materiæ Subtilis pelluntur primò ad crustam exteriorem C; Ubi variâ mixtione omnia formantur Mineralia, & exindè partim subeunt Vegetantium radices partim per aëra diffunduntur ad eorumdem Vegetantium simul & Animantium nutritionem foyendam modo Physicis omnibus cognito.

Plurimas autem per aëra diffundi essentiales mixtorum partes, quas eorumdem Principia vocamus, multiplici patet experimento. Ac primò quidem venenatæ inter viventia animalia viperæ sibi ipsis relictae, & in vasis aëre patulis simpliciter reconditæ nutriuntur, crescunt, & multiplicantur per sex menses integros & ultrâ; secundò inter vegetabilia Helmontianus salicis truncus libras quinque ponderans, non potuisset elapsò quinquennio converti in arboreum centrum sexaginta novem libras &

circiter uncias tres ponderantem, nisi tūm aëris,
tūm aquæ arborem irrorantis beneficio, nova
ad tantum incrementum accessissent Principia,
& cur vulgō in arborum plantatione altæ
excitantur per longum ante tempus foveæ, nisi
ut ambientis terræ partes porosæ, præcipitatis
ab aëre salibus, aliisque principiis imprægnen-
tur: In hunc etiam finem circa radices altæ
parantur vacuitates ad continendum aërem:
Idem etiam contingit in terrarum culturâ,
eatenūs enim proficua est aratio, ut faciliùs &
copiosius imprægnetur terra præcipitatis à con-
tiguo aëre nitrosis salibus & reliquis princi-
piis, quibus vegetatio promoveri solet. Tertiò
inter Mineralia, Aluminis, Nitri, nec non
Vitrioli Terra damnata patulo atque Sereno
aëri exposita, rursùs Alumine, Nitro, atque
Vitriolo imprægnatur: quâ de re si dubitas,
consule Nitrarios, Vitriolicas inspice mineras,
& videbis in agro Romano, eâ quâ Cesalpi-
nus docuit industriâ, effossam mineralem terram
in cumulos congestam per sex menses, immo &
per annum integrum, sereno aëri exponendam
esse, ad parandum exindè mediâ lixiviatione
Alumen simplex, vel additione fragmentorum
ferri aut cupri Vitriolum: porrò Illustrissimus
audiatur Etmullerus doctissimum commentans
Scroderum in Mineralogiâ capite vigesimo
secundo de sale fossili, seu sale gemineo,
ubi sic legitur, *res interim mira*, inquit, *quod*
Sal gemmæ polonicum in fodinis sit leve, aëri

verò expositum gravescat, adeò ut massa quam unus homo potuit portare in fodinâ, per aliquot dies aëri exposita, vix à quinque viris possit auferri.

Sunt ergò in aëre, sicut in exteriori terræ crustâ essentiales plurimæ mixtorum partes, sive eorumdem Principia, quæ ad Animatum, Vegetabilem, & Mineralium incrementum concurrunt, quæque ita continuo ignis solisve calore, & fermentationibus variis atteruntur ac destruuntur, ut citò universum periret mixtorum genus, nisi semper nova in propriis typis generarentur Principia ex concretione materiæ subtilis, ut superius probatum est. Verùm quoniam Principiorum typi juxta se invicem collocantur ac disponuntur, fit ut Principia genita statim à priorum typorum egressu, simul per intima misceantur, undè non possunt Chymiae beneficio exactè ab invicem separari: atque hinc est cur nunquam pura ac impermixta reperiantur mixtorum Principia; debeantque solummodo considerari tamquam essentiales & proximæ mixtorum partes, è quarum mirâ combinatione illorum proprietates deducuntur: simili ratione, quamquam absolutè loquendo quatuor tantum numerari possent mixtorum principia ex concretione materiæ subtilis genita, Aqua videlicet, Sulphur, Sal & Terra; usus invaluit ut quintum illis adderetur Principium, Spiritus sive Mercurii nomine insignitum: de quibus Principiis sigillatim nunc agendum incumbit. Adeòque sit



CAPUT SECUNDUM.

*De Principiis in specie, ac primò quidem
de Aqua sive Phlegmate.*

IN inquirendâ Principiorum naturâ imprimis habenda est ratio proprietatum essentialium, quæ unicuique Principio maximè convenient : etenim alia reperiuntur Principia plerumque liquida ut Phlegma , Oleum & Spiritus ; alia siccâ formâ se produnt ut Sal & Caput mortuum : inter liquida alia sunt concretioni apta ut Aqua & Oleum ; aliud verò sibi ipsi relictum numquām concrescit ut Spiritus. Oleum accenditur & flammam concipit , Aqua flammam extinguit & ignem ; Spiritus verò alii accenduntur ut Spiritus Vini & Therebentinæ , alii contrâ ignem extinguunt ut Spiritus Salis atque Vitrioli : Rursus inter solida Principia , Sal sapidum est & rigidum , Caput verò mortuum insipidum & friabile : similiter inter liquida Principia , duo observantur ex se insipida , Aqua videlicet & Oleum ; Spiritus autem plerumque sapidi sunt. Quæ quidem omnes Principiorum proprietates cautè & sigillatim in decursu notandæ venient , ut possit unum ab alio distingui Principium.

Interim quia non sufficit Principia ab invicem distinguiere, corundemque proprietates dinumerare posse, sed debent prætereá illæ cædem explicari proprietates; nec non debet Medicus rationalis Principiorum usus & varios eorumdein agendi modos in mixtis noscere & explicare; quod certè fieri nequaque posset, nisi penitus exploratâ propriâ cujuslibet insensibilis Principiorum partis figurâ: idcircò in unoquoque Principio considerabimus tūm proprietates essentiales, tūm cujuslibet partis insensibilis figuram: quod ut pro virili & comodiori ordine perficiatur, à Phlegmate initium faciamus, acturi dein de Capite mortuo, tertio de Sulphure, quartò de Sale & quintò de Spiritu.

Aqua sive Phlegma, habitâ ratione proprietatum essentialium, definiri potest illud mixtorum Principium liquidum, insipidum, inodorum & concrescibile quod ignem extinguit. Aquam verum esse mixtorum Principium liquet, ex eo quod sit illa essentialis animalium, vegetabilium, & mineralium pars illorum proprietatibus proximè explicandis interviens: etenim pluviatilem aquam vegetabilibus, fontanam, fluviatilem, vel putealem animalibus necessariam esse quotidiana docet experientia. In mineris Aquam delitescere, & exinde ad globi terrei superficiem ferri nemo negat. Imò siccissima quæ è mineris educuntur corpora, scilicet Sal gemmæ, Vitriolum, Alumen, &

Terræ variæ, quæ Chymicorum analysi subjiciuntur, serofum laticem seu Phlegma mediâ distillatione fundunt.

Dein tanta est in omnibus mixtis ad illorum proprietates explicandas Phlegmatis necessitas, ut nec Sal, nec Sulphur, nec Terra damnata, immo nec Spiritus ipsi sine Phlegmate quidquam præstare possint. Etenim Salia, ut vulgo dicitur, non agunt nisi soluta, nec dissolvi possunt nisi à liquido Phlegmate: Sulphurea corpora, tametsi ab Aquis intacta relinquuntur, dissolvi non possent, neque contrà uniri, inspissari atque concrescere, nisi varia superveniant Salia, istaque priùs à liquido Aquoso dissolvi debent, ut Sulphurum poros pervadant. Similiter Caput mortuum, quod ex naturâ suâ siccum est atque friabile, destruetur facile, nisi liquido flexilique Phlegmate irroraretur. Dein undènam Spiritus omnes innatam haberent liquiditatem; nisi Phlegmatis beneficio illoruim Salia proximè & mediantibus salibus Sulphura solverentur & soluta remanerent?

Est ergò mixtorum omnium Principium Aqua seu Phlegma, quod est substantia *liquida, insipida, inodora, & concrescibilis*; per quas proprietates convenit quidem cum Sulphureo Principio, sed per easdem à solidis Sale & Capite mortuo distinguitur. Porrò ex eo quod hæc substantia liquida, insipida & inodora frigore concrescat, distinguitur à Spiritu semi-

per liquido, sapido & inflammabili ; tandem quatenus *ignem extinguit*, ab inflammabili Sulphure differt.

Quod spectat ad propriam cuiuslibet insensibilis aquosæ partis figuram ; illud in ipso limine velim obiter observari , nempe me per insensibiles Principiorum partes aliud nihil intelligere , præter illas quæ oculorum aciem optimis etiam microscopiis instructam penitus effugiunt , quæ , licet exiguissimæ sint , veras tamen integrantes constituant cujuslibet Principii partes ; essentiales enim Phlegmatis , Capitis mortui , Sulphuris & Salis acidi partes ex solâ materiâ subtili constare superiori Capite probatum fuit : essentiales vero Spirituum partes suo loco examinabimus : undè patet insensibiles illas Phlegmatis sicut & reliquorum Principiorum partes , non nisi à posteriori sive ab effectibus cognosci posse ; itaque præcipuas Phlegmatis proprietates jam recensitas figillatim perpendamus , ut cognosci possit quâ partium insensibilium dispositione atque figurâ Phlegma sit liquidum , insipidum , inodorum , & concrescibile , & quâ ratione ignem extinguat .

Ac primò quidem corpora liquida (quæ juxtâ definitionem Antiquorum difficulter suis , facilè vero alienis terminis continentur) ex omnium Neotericorum consensu ea sunt , quorum partes insensibiles sic invicem exagitantur in omnem sensum à materiâ æthereâ ,

ut aliae

ut aliæ aliis continuo occurrant (materiæ æthereæ nomine intelligenda venit illa primi & secundi Elementi congeries , quæ indesinenter fluxu omnia ita præterfluit liquida , ut sit proxima illorum motus causa) non possunt autem insensibiles liquidorum partes in omnem sensum exagitari à materiâ æthereâ , quin globulosæ sint & rigidæ , vel flexiles & facile globulosam affectantes formam , ut per minimâ tantum puncta sese contingere & aliæ supra alias facile fluere possint. Ita videimus hydrargyrum , aëremque constantè liquiditatem servare , quia scilicet hydrargyrum constat insensibilibus rigidis & globulosis partibus ; aëre verò flexibilibus & facile globulosam affectantibus formam ; ergo & à pari , quandoquidem Phlegma liquidum est , debent insensibiles illius partes vel rigidæ & globulosæ esse , vel flexiles & globulosam facile formam affectare , ut in omnem sensum exagitari possint à materiâ æthereâ . Verum si globulosæ forent ac solidæ Phlegmatis partes , gravissimum constituerent liquidum , & numquam concrescerent , nisi relicta à globulis solidis interstitia tulerentur per novam particularum accessionem , quemadmodum in liquido simul & gravissimo hydrargo contingit ; quod tamè plurimis repugnare experimentis mox probabitur , dum de Aquâ frigore congelatâ agendum veniet , undè colligimus insensibiles Phlegmatis partes adeò flexiles esse , ut facili negotio globulosam

affectare possint formam , & in omnem sensum exagitari a materiâ æthereâ , quæ sufficientem habeat motûs quantitatem , quemadmodum æstivo tempore ubi aër æstuat , vel hyeme propè ignem contingit.

Secundò Phlegmatis insipiditas flexiles esse istius Principii partes luculenter probat : ideò namque sapida sensibiliter organum gustus ferire solent , quia rigidæ illorum moleculæ dum subeunt papillas linguæ , notabilem & subitanam vim illis inferunt : ergo Aquosæ partes , si rigidæ essent & inflexiles , eosdem quos permeant linguæ ductus subito dilatare , atque organum gustus ferire deberent ; sed epotæ puri Phlegmatis partes , vel in oris cavitate diù retentæ totam linguam madefaciendo subintrant absque ullâ gustus sensatione ; quia sufficientem non possunt inferre vim lateribus nervorum linguæ , quod non ex tenuitate nimia , sed ex flexibilitate earumdem Phlegmatis partium procedit , cum Spiritus vini partes v. g. quæ sunt multò tenuiores partibus Aquæ vulgaris , nihilominus tamèn organum gustus vehementer ferire soleant : ergo si non feriant partes Aquæ , illud non ex partium insensibilium tenuitate , sed ex earumdem flexibilitate est repetendum.

Neque dicas Phlegmatis partes rigidas simili & obtusas esse , adeoque acuminis defectu proprium saporis sensum excitare non posse : etenim acumen ad faciliorem corporum intro-

missionem tantum concurrit, & sola rigiditas est, quæ producat hanc nervorum linguæ dilatationem seu divulsionem, in quâ præcisè tota sapidorum actio consistit: itâ sanè, quemadmodum rigidum quodcumque corpus, licet obtusas habeat extremitates, dolorem parit, dum sensibilia humani corporis partium texturam minimâ vi subit atque divellit; sic etiam Aqua linguæ textum subiens, gravem haud dubiè saporem excitaret, si particulæ illius licet obtuse rigiditatem haberent: ergo tamen si obtusam servarent formam insensibiles Phlegmatis partes, si suponerentur rigidæ, saporis sensum inducerent; sed cum insipidæ sint, illud ex earumdem flexibilitate deduci necesse est.

Quod de Phlegmatis insipiditate mox dixi, sufficit ad intelligendum quâ ratione illud idem Principium sit naturaliter inodorum; siquidem ea est gustum inter & odoratum similitudo, ut quo modo movetur lingua à sapidis salivâ solutis, eodem feriatur pituitaria narium membrana ab odoriferis corpusculis muco, sive pituitæ permixtis: undè nihil mirum si flexiles puri Phlegmatis partes, quæ linguam subeunt, pituitariam quoque narium membranam subintrent absque sensibili nervosarum, quas mandefaciunt atque relaxant, partium vibratione. Videamus nunc quâ ratione possit Aqua frigori exposita facile congelari.

Liquidum inter & solidum corpus, adcòque

Aquam inter & glaciem hæc unica reperitur differentia, ut liquidorum partes insensibiles in omnem sensum exagitentur à fluido æthereo, & non nisi per minima puncta sese contingant; insensibiles verò solidorum partes latioribus ita sese contingant superficiebus, ut respectivè quiescant: undè sequitur ad Aquæ congelationem requiri omnino duo, neimpè ut materia ætherea minori motu impingat in partes insensibiles Phlegmatis, & ut istæ latioribus sese contingant superficiebus: sed non potest primò materia ætherea minori motu impingere in partes insensibiles Phlegmatis nisi defectu vis pellentis minus moveatur; quod hyberno potissimum tempore advenit, quia tunc radii Solares obliquè in nostram incidentes atmosphærā, eam non nisi debiliter percutiunt. Non possunt secundò insensibiles Phlegmatis partes solidum glaciei corpus constituere, quin latioribus quam anteà superficiebus sese tangant, nec sese ita contingere & respectivè quiescere, quin erigantur & extendantur in longum, quod certè non fieret, nisi naturaliter oblongæ essent & flexiles; etenim dum materia ætherea sufficienter movetur ad liquiditatem Phlegmati conciliandam, debent insensibiles istius Principii partes flexione variâ in globulos verti; contrà verò extendi, elongari, latioribus sese contingere superficiebus, adeoque respectivè quiescere, quando inminus movetur materia æthe-

rea. Atquè hinc est cùr eadem Aqua possit hyberno aëri exposita sæpiùs in glaciem converti, rursùs accidente calore sive motu materiae æthereæ liquiditatem recuperare, vicissim frigore congelari, & sic deinceps. Quod si Aqua prius calida, dein frigori exposita citius & in firmiorem contrescat glaciem; illud non ita sit quia particulae aëris nitrosæ (ut nonnullis placet) citius ab igne relicta subeunt intimiusque replent interstitia, sed quia ignis calore tenuiores Phlegmatis partes dissipantur, relictis crassioribus, quæ cùm majorem requirant materiae æthereæ motus quantitatem, ut globulosam affectent formam, idcirco hyberno aëri expositæ facilius firmiusque concrescant, quia utpotè longiores latioribus superficiebus sese contingunt.

Quod autem ad Aquæ congelationem nullatenus concurrent nitrosæ aëris partes, plurima probant experimenta. Primo quidem nitrum aëreum salinum est in aquis solubile, salia enim omnia solvuntur in Aquis, easque liquidiores reddunt, & eò difficilius concrescit in glaciem Aqua, quò magis fœta est atquè referta salinis particulis. Hinc est cùr Aqua marina difficilius congeletur quam Aqua dulcis, & cur spiritus salini atque sulphurei nusquam in glaciem concrescant. Secundo si nitrosa aëris pars concurreret ad glaciem formandam, Aqua spiritu nitri irrorata citius concresceret in glaciem, quod est contra experientiam.

Tertiò si accessione nitri aërei omnia Phlegmatis interstitia replentis fieret congelatio , glacies multò magis ponderaret quàm Aqua. undè prognata est , adeòque una v. g. libra Phlegmatis in glaciem conversa , duās ad minimūm libras ponderaret , siquidem relicta à globulis aqueis interstitia eorumdem globulorum numerum & magnitudinem longè superant , ut suo loco probabitur , dùm de Salium in Aquis dissolutione sermo erit.

Quartò ut æstivo tempore plurimi Aquosí vel Sulphurei liquores congelentur , in vasis vitreis reconduntur , istaque exteriùs involvuntur hyemali glacie. An dixeris tunc nitrosas aëris partes concurrere ad liquidorum congelationem ? verùm illæ non possunt subire poros vitri , ut millenis machinæ Boylianæ experimentis evincitur. Mallem ego dicere , materiam ætheream , dùm ad externam fundendam glaciem celeritè movetur , eodem tempore eademque proportione minus agitari in propriâ vase cavitate ; adeòque insensibiles Phlegmatis partes defectu motûs extenduntur , aliæ aliis superstruuntur , respectivè quiescunt , & in glaciem convertuntur. Quod autem materia ætherea vehementius impingat in externam glaciem , debiliùs verò in liquidum vitro vase reconditum , illud ex ipso facto deducitur : quò enim celerius externa funditur glacies , eò faciliùs congelatur liquidum in vase contentum : hinc est cùr vulgò ad citius

refrigerandam Aquam , vel vas glaciem continens igni approximatur , vel sale aspergitur glacies ; quia addito quocumque sale etiam nitroso , flexiles quæ ab aliis concretis disso- ciantur Aquæ partes , intorquentur circà rigidas salis moleculas , adeòque majorem susci- piunt & diurniorem conservant motum nam quò solidiora & firmiora sunt corpora , eò majorem motù quantitatem suscipiunt diu- tiusque conservant . Sed cùm eadem semper remaneat in rerum naturâ motùs quantitas , non potest sale referta glacies externa magis moveri à materiâ æthereâ , quin ista minori velocitate minorique motu moveatur in cavi- tate vasis , ubi nova absque nitro aëreo for- mari debet glacies , modo jam explicato .

Quintò plurima alia curiosa , quæ congelationis tempore occurrunt explicanda phœno- mena , facili negotio intelliguntur absque ni- tro aëreo : nempè cur Aqua dum congelatur , rarescat adeò & rarefiat , ut solida glacies red- datur specie levior ipsâ aquâ liquidâ ; cur sclo- petorum tubi ferrei aquâ repleti & diligentissi- mè occlusi cum impetu rumpantur si gelido aëri exponantur , ut in Academiâ Regiâ Pa- risiensî expertus est clarissimus *Hugenius* , itâ referente ejusdem Academiæ Secretario meri- tissimo Domino *Duhamel* in Physicis suis operi- bus : similiter nobilissimus Anglus *Robertus Boyleus* tubum æneum tres aut circiter digitos latum & Aquâ plenum itâ aptavit ut Aqua

per artificiosam congelationem dilatata potius
dus sexaginta vel octoginta librarum elevarit.

Hæc autem omnia & similia ex duplice ca-
pite potissimum deduci possunt: primò quia
flexiles aquæ partes, quæ liquiditatis tempo-
re mirum in modum intorquentur & quarum
pleræque globulosam affectant formam, cuin
non possint propter imminutum materiæ æthe-
ræ motum sic invicem intorqueri, propriæ
vi elasticâ expanduntur, & longam simul ac
rigidam affectant formam, quod fieri nequa-
quam potest, quin majus necessariò occu-
pent spatum; adeò que tota aquæ congelataæ mo-
les debet expandi ac rarefieri. Quod si subitò
id fiat in vasis fragilibus & diligentè obtu-
ratis, vasa cum impetu & gravissimorum pon-
derum elevatione diffingentur. Secundò quia
in liquido Phlegmate dispersæ hic atque illæ,
& liquiditatis tempore compressæ reperiuntur
ramosæ aëris partes, quæ vi elasticâ pollentes
non possunt intra congelatas aquæ particulas
contineri, quin pressionis defectu expandantur
ac extendantur non aliter ac flexilia lanæ
filamenta, quæ in floccos cuinulosque primùm
congesta atque compressa, dein sibi ipsi relieta
expanduntur & majus occupant spatum.

Ac ne dubites rarefactum aërem in glacie
contineri: observa quæsò ipsammet glaciem in
specie leviorem Aquâ plurimos habere sensi-
biles in interiori textu meatus & cavitates.
Cinque primo congelationis tempore varias

emittere

emittere bullas aëreas, si artificiosa congelatio
primùm fiat in inferiori parte siphonis exi-
guissimi aquam continentis, ut in Academiâ
Regiâ Parisiensi sæpiùs comprobatum fuit.
Insensibiles verò ramosas & flexiles aëris
partes virtute elasticâ pollere, neino in Physicis
mediocritè versatus negare potest: verum
insensibiles Phlegmatis partes, utpotè multò
crassiores particulis aëris, majori donantur
elatere. Elater verò insensibilium partium
Phlegmatis sicut & aëris aliorumque corporum
ex peculiari inflexi corporis pororum disposi-
tione procedit, quâ fit ut fluens materia primi
Elementi ex ampliori in angustiorem ductum,
eam vii inferat lateribus eorumdem pororum,
ut cessante vi comprimente atque flectente, sin-
gulæ particulæ corporis quasi ex se ipsis protinus
restituantur & erigantur; adeoque nihil mirum
si Phlegmatis partes, quæ liquiditatis tempore
a materiâ æthereâ undequâque compressæ glo-
bulosam affectabant formam, dein cessante vi
comprimente propriâ vi elasticâ erigantur ad
glaciem eo quo superius diximus modo effor-
mandam. Verum hæc de Phlegmatis concretione
dicta sufficiant. Videamus nunc quâ ratione
illud Principium ignem extinguat.

Ignis vulgaris in eo præcisè consistit, quod
insensibiles combustibilium corporum partes
itâ primo innatent Elemento, ut vel in gyrum
agantur si fluidam flammarum, vel ultrâ modum
vibrantur si solidum lignum atque carboncs.

constituant: quæ cum ita sint, non potest Phlegma ignem extinguere quin combustibilem partium motum sufflaminet, nec illum sufflaminare potest, quia insensibiles illius Principii partes sese restituendo, in particulas igneas motu directo impingunt; etenim videmus corpora in gyrum acta suam illicè determinationem mutare, quoties occurrunt aliis corporibus motu directo impingentibus: atqui insensibiles Phlegmatis partes ut primum ingrediuntur ignis sphæram restituunt sese, quia deficiente vi comprimente nempe materiam ætheream, primo innatant Elemento; non possunt autem sese restituere quin motu directo vehementer impingant in particulas igneas, quarum gyrationis vel vibrationis motum sufflaminant, atque adeò ignem penitus extinguunt, dummodò in sufficienti quantitate reperiantur. Nam si minima tantum Aquæ quantitas conjiciatur in magnum & validissimum ignem, Aqua protinus ab igne & vicissim ignis ab Aqua propelli cernuntur: id oritur ex eo quod partes igneæ, cum sint in multò majori copiâ & rapidissimo motu agitatæ, minorem partium Aquæ motum vincant.

Ex hactenùs recensitis explicatisque Aquos Principiis proprietatibus liquet, insensibiles illius partes pro vario cui innatant fluido, exiguisimorum anguillarum instar modò flecti, modò extendi; undè Principium illud in se consideratum definiri potest partium congeries;

que naturaliter flexiles & elasticæ oblongâ do-
mantur figurâ. Hinc facile quisquam intelli-
gere potest, cur Phlegma tam facile intimum
subeat textum plerorumque solidorum corpo-
rum quibuscum permisceri potest, eaque sim-
pliciter madefaciendo laxiora reddat & molliora
ut linteæ, corium, chârtas &c. Quia hujusmodi
corpora poros habent sufficienter amplos ad
recipiendas insensibiles Phlegmatis partes unâ
cum materiâ globulosâ easdem flectente: secùs
autem accidit, dum illud idem Phlegma af-
funditur salibus, saccaro, calcî, vivæ, &c. quorum
pori adeò exigui sunt, ut insensibiles Phleg-
matis partes primo tantum Elemento innatantes
excipient. Tunc enim partes Aquæ propriâ vi
elasticâ sese restituentes itâ impingunt in insen-
sibiles eorumdem corporum partes, ut istas ab
invicem disturbent atque dissocient, novumque
tandem constituant liquidum salinum, ut ex-
plicabitur in sequentibus, dum de Salium in
Aquis dissolutione. Verum hæc de Phlegmatis
naturâ & proprietatibus sufficiant. Nunc pauca
de ejusdem genesi perpendamus.

Tametsi summus rerum omnium conditor
Deus in ipso mundi exordio per unam &
simplicem voluntatem omnia ex nihilo dedu-
xerit atque creaverit, ut ex Sacris Scripturis
omni fide dignissimis patet: hoc non impedit
quominus asserere possim, Aquam quotidiè in
variis interioris terræ poris generari ex con-
crescente primi Elementi materiâ. Universum

enim citò periret Phlegima, nisi novum inde-
sinentè accederet ad continuam illius destruc-
tionem reparandam: interioris autem terræ
typi itá sunt à naturâ dispositi, ut crassiores
materiæ subtilis partes in illoruim cavitatibus
concretæ Phlegima constituant. Quod ut clariùs
pateat, *primam rursus inspice figuram*, & videbis
concretam in typo A B, particulam Aqueam
F G oblongam & teretein figuram cum super-
ficie lævigatâ accipere, quia longus ac cylin-
dricus typus, rotundam & lævigatam interiùs
habet cavitatem; eadem verò Aquæ particula
flexilis fit ab exuperanti copia tenuissimarum
primi Elementi partium, quæ per strictissima
spiracula C C C C vix egredi possunt. Dein
ubi concreta particula Aquea F G. egressa est
per foramen B, si calido aëri exponatur diver-
simodè flectitur & ità intorquetur, ut plures
similis congestæ ejusmodi particulæ liquidam
constituant Aquam; contrá verò si sit frigidus
aër, acquisitam in propriis typis oblongam
figuram absque flexione servant, & solidam
glaciem constituunt; vel si salibus Terrenoque
Principio occurrant, statim mixtorum com-
positionem modo superiùs explicato ingredun-
tur. Porrò quiá partes Aquæ anguillarum
exiguissimarum instar oblongæ sunt & lævigatae,
dùm primo innatant Elemento facillimè &
directè moventur secundùm longitudinem;
quâ progrediendi ratione fit, ut per meatus
angustiores penetrant & in auras abeant, ac

diutiūsus suscepsum impetum conservent ob pauciora impedimenta quæ ipsis occurunt : atque hinc est , cur tanta in rerum naturâ reperiatur Phlegmatis copia.



CAPUT TERTIUM.

DE

Terrâ Damnata sive Capite Mortuo.

TERRAE Damnatae nomine vulgo intelligitur moles illa Terrea levis & friabilis , quæ post debitam mixtorum analysim obstinatè remanet in fundo vasis , quasi flammis damnata foret. Hæc alio nomine Caput Mortuum dicitur ; primò Caput , quia præcipuam atque , ut ita dicam , principem mixtorum partem constituit , est enim basis Principiorum quæ solida potissimum mixta componunt ; secundò Mortuum , quia cæteris aliis è mixto eductis separatisque Principiis , arida , sicca , inodora , nec non insipida massa in vasorum fundo velut inutilis ac mortua jacet. Hæc autem Terra Damnata & Capitis Mortui nomina necessariò usurpari debent , ut possit Principium istud distingui à vulgari Terrâ quam peditimus calcamus , quæ verum est mixtum quod resolvitur in Spiritum , Sal , Sulphur , Aquam , & Terram. Poteſt autem Terra Damnata haud ineptè definiri mixtorum omnium Principium solidum

ac friabile, constans ex insensibilibus partibus mediocriter rigidis & semicircularibus; quæ definitio per partes probanda nobis est, ut istius Principii natura, proprietates, genesis & usus intelligantur.

Dico igitur primò Terram Damnatam verum esse mixtorum Principium, quiá nullum reperi licet in rerum naturâ mixtum corpus, quod modò plures, modò pauciores in proprio textu non recondat essentiales Terreas particulas, quæ plurimo inserviant usui: etenim præterquam quod Terra est velut basis & fundamentum cæterorum Principiorum mixti compositionem ingredientium, ut mòx dixi, ea sunt longioris ævi corpora, quæ plures aliis Principiis permixtas & strictè colligatas retinent Terreas fixiores particulas, ut videre est in metallis, cæterisque mineralibus corporibus, quæ per centenos, imò & millenos annos intacta remanere possunt; dum ècontrà vegetabilia & animalia citò pereunt ac destruuntur: imò plantas inter & arbores, aliæ in quibus luxuriat Phlegma, autumnales, vernales, vel ut plurimum annuæ sunt; aliæ verò in quibus multò plures adsunt Terræ particulæ, per unum aut aliud sæculum perdurant atque frondescunt: huicce enim singulari usui destinatur in mixtis Terra Damnata, ut impediatur quominus cætera Principia motui suscipiendo magis comparata, sæpiùs nec non vehementius invicem concurrant, adeò ut si quæ sint hæc:

togenea salia minùs invicèm fermentescant ; undè minor in mixto motus intestinus , cui coërcendo concurrit Terra mixtorum pars. Porrò alios habet Terra usus , proprietates alias inferiùs explicandas , quæ luculentè probant Terram esse mixtorum omnium Princípium.

Dico secundò Principium illud de quo lequimur , esse *solidum atque friabile* , ut ab omni alio distinguatur Principio , etenim Aqua est Princípium liquidum concrescibile , ut præcedentī Capite probatum fuit : Oleum quoque liquidum plerùmque remanet , & Spiritus omnes sunt semper essentialiter liquidi ; Sal denique quod siccâ formâ plerùmque reperitur , tametsi solidum sit , duriùs ac firmius est quám Terra , diffringi quidèm potest , sed non est friabile , ut Caput Mortuum ; undè patet inter Principia solam esse Terram , quæ solida sit atque friabilis , ut ex simplici illius inspectione patet : etenim hæc Chymiæ beneficio ab omni alio Principio , quantum fieri potest , liberata , solida semper cernitur , & si manibus digitis ve tractetur , facili negotio in pulverem redigitur. Verùm paulò major occurrit difficultas in assignandâ ratione soliditatis & friabilitatis Terræ , quod tamèn facile explicari posse crediderim positâ mediocri partium insensibili rigiditate , & earundem figurâ semicirculari , quamobrem .

Dico tertio Terram constare *partibus me-*

diocritè rigidis, quod probatur ex eo, quod non possint illius, sicut Phlegmatis partes, respectivè invicè moveri à fluido æthereo, quia paulò rigidiores sunt particulis Aqueis, adeòq[ue] non obsequuntur motui materiae ætheræ, sed illius impulsu resistunt, & plures simul unitæ constituunt corpus solidum; non quidem æque solidum ac Sal, quia insensibiles Terræ partes partibus Salinis minus rigidæ sunt; undè nihil mirum si Terram constare dicam partibus medioeritè rigidis, seu quæ Aqueis particulis rigidiores, Salinis vero minus rigidæ sunt. Etenim nisi mediocritè rigidæ essent Terræ partes, nunquam posset explicari innata hujusce Principii friabilitas; siquidem friabile corpus dicitur, quod levi compressione minutim atteritur, adeoque Terra non esset friabilis, si partes componentes vel nimis rigidæ, vel nimis flexiles essent; si enim rigidiores essent, solidius corpus constituerent quod diffungi non nisi difficultè posset; si minus rigidæ, nimiam servarent flexibilitatem, atque adeò corpus vel liquidum esset vel molle, & quamquam impresso motui facile cederet, nequaquam esset friabile. Cùm igitur mediocris partium rigiditas ex friabilitate corporum deducatur, cùmque omnis Terra sit friabilis, debent necessariò insensibiles illius Principii partes mediocritè rigidas esse; quod erat probandum.

Dico quartò Terrenas partes figurâ semicirculari

pres

præditas esse , quod probatur tūm ex soliditate & friabilitate Terræ ; tūm ex porositate nec non levitate & insipiditate molis Terreæ ; etenim primò ad corpus solidum cōstituendum, nihil aliud requiritur quàm partium unio & illarum respectiva quies : atqui figura semicircularis seu arcuata maximè idonea est ad partes corporis connectendas , & ad faciendū ut respectivè quiescant , quod patet ex figurâ tertiatâ quæ partes semicirculares seu arcuatas confusim permixtas , connexas tamèn , & quasi concatenatas exhibet : secundò corpus friabile ; ut mox dixi , est illud quod levî compressione minutūm atteritur : atqui corpus constans partibus semicircularibus seu arcuatis levî compressione minutūm atteri debet , tūm quia illius partes parùm invicem connectuntur , tūm quia quælibet pars , cum sit mediocriter rigida , facile comprimi & disrumpi potest ; sicut patet ex figurâ quartâ insensibilem Terreni Principii partem repræsentante : neque enim potest pars A comprimi , quin feratur versus B , nec ambæ partes A & B compressæ possunt accedere ad se se invicem ; quin elevetur pars C , quæ necessariò disrumpi debet si augeatur compressio : ergò non minus friabilitas quàm soliditas Terræ probat Terrenum Principium partibus semicircularibus constare . Tertiò quo niam insensibiles plurimæ partes semicirculares in unum solidum atque friabile corpus coalescere nequeunt , quin plurima eaque ampli

hic atque illuc relinquuntur interstitia fluidis ambientibus pervia ; hinc patet cur Terrea moles tantam præ se ferat levitatem , ut alia Principia in mole æquali semper illi præponderent ; cuius rei ratio non aliundè est pœtenda , quām ex eo quod Terrea moles ob multitudinem & amplitudinem pororum majorēm alienæ quām propriæ materiæ contineat copiam ; experientiâ enim constat copiosum aërem in Terrâ Damnata reperiiri , nam si Terram quamcumque molem infundas in Aquis vel in Oleo , tunc contentus in interstitiis Terræ expellitur aër per ingressum Aquæ vel Olei , & in bullas sensibiles sursùm fertur quo tempore Terrea moles præcipitatur ad vasim fundum ; quod fieri nequaquam posset nisi unaquaque Terræ pars insensibilis gravior esset unaquaque insensibili & æquali Phlegmatis vel Olei parte.

Ergò si Terrea moles majorem quām cætera Principia præ se ferat levitatem , illud non ex partibus insensibilibus Terræ seorsim sumptis repeti debet ; sed ex peculiari earumdem partium unione , quā fit ut per ampla relinquane interstitia externo aëri levitatem conciliant patula : atque ut hâc de re omnis tollatur scrupulus , eam unico eoque familiari comprobemus exemplo. Inspice & seorsim pondera duas æqualis molis vulgares spongias , quarum una solum aërem recipiat in propriis interstitiis , altera verò repleta sit Oleo vel Aquâ , & pro-

tinus videbis primam, ut potè plurimo aëre refertam, multò leviorem esse secundâ Oleo vel Phlegmate plenâ. Similiter cùm Terrea moles cæteris omnibus Principiis destituta per ampla habeat interstitia crassiori aëre plena, debet levitatem præ se ferre.

Ac ne dubites quin Terra per amplis, ut mox dixi, constet interstitiis, quæ vulgo sed impro priè pori dicuntur; advertas obitè illam, citò facileque sorbere, & sinu suo retinere affusa cujuscumque indolis & crassitiei liquida, cuiusmodi sunt Aqua, Oleum, Spiritus tūm volatiles, tūm fixi &c. Quod fieri nequaquam posset, nisi maxima Terreas inter partes reperirentur interstitia ejusmodi recipiendis liquidis apta; siquidem amplitudo foraminum debet semper respondere magnitudini corporum intromissorum, alioquin disrumperetur foramen, quod est contrà experientiam; etenim quodcumque liquidum, sive Phlegmaticum sit, sive Salsum, sive pingue & Oleosum, Capiti Mortuo affusum, in illud absque notabili ullâ partium Terræ separatione intromittitur: hoc habent solùm Aqua & Oleum, ut Terream cui affunduntur molem molliorem quidem reddant, sed illam nunquam dissolvant. Quod sanè luculenter probat semicirculares Terreni Principii partes sic invicem sociari, ut maxima liquidis ambientibus obvia relinquant interstitia. Probat illud quoque instituta Terrestrium corporum analysis, quæ

si debito modo perficiatur, relinquit in fundo
vasis Terrenum Principium distillati corporis
formam conservans: nam lento primùm ad-
moto mox gradatim adaucto igne, dum cæ-
tera quæ facilius excuti possunt mixti Princi-
pia separantur, & suo quæque ordine in vas
recipiens fluunt, illæsæ intactæque remanent
Terræ partes naturaliter simùl concatenatæ;
constanter enim eludunt impetum vehemen-
tioris ignis, quia facilem & liberum dant illi
aditum ob suorum interstitiorum amplitudinem:
secùs autem res accidit si mixtuim aperto igni
concremanduim exponas; tunc enim cum non
possint ab invicem successivè dissociari Prin-
cipia, Terra promiscuè cuim Sale & Sulphure
elevatur, & in fumum atquè fuliginem con-
vertitur. Hinc est cur corpora debito Chyini-
corum more tractata multò majorem Terræ
copiam suppeditent, quam si aperto igne con-
crementur.

Advertes interim corporum Terrestrium
gravitatem non ex Terreno Principio potissi-
mum dependere, ut non nulli contendunt, sed
ex strictiori unione omnium simùl unitorum
Principiorum; nam è liquidis ponderosis
multuim Salis & Aquæ, perparùm verò Terræ
plerūmque colligitur: imò tametsi experientia
plus Terræ esse in sesquilibrâ suberis quam in
quatuor ebenæ libris confirmet, nihilominus
suber est lignum maximè leve propter rationem
superius recensitam, nempè quia integrantes

Terreæ suberis partes maxima relinquunt interstitia externo aëri patula : similiter quoniam Terrea moles , ut mox dixi , in specie levior est quâcumque æquali alterius Principii mole , debent insensibiles illius partes ampliora reliquis Principiis interstitia relinquere , quod certè conciliari nequit cum ejusdem Principii soliditate & friabilitate , quin eadem partes insensibiles semicirculares & mediocriter rigidæ diversimodè continentur & concatenentur eo quo superiùs diximus modo . Nunc pauca yideamus de insipiditate Terreni Principii .

Si Terrea quæcumque moles aliis denudata Principiis admoveatur linguæ nullum omnino saporis sensum , sed ariditatem ad plurimum & asperitatem producit ; quod ex iam stabilitâ partium insensibilium figurâ , situ , atque naturâ facili prorsùs negotio deducitur ; etenim ut organum gustûs ferire possint sapida , insensibiles illorum partes præter figuram & rigiditatem debent liquiditatem habere , ut papillas linguæ subeant , & aliqualem divulsionem pariant ; quod capite præcedenti probatum fuit : sed talis est figura , contextus & unio partium Terræ insensibilium , ut nullam habeant , nec ullam ab Aquâ vulgari aut salivâ liquiditatem accipere possint ; ergò insipidas esse necesse est , cùm defectu liquiditatis linguæ papillas nullatenus aut vix subeant , quod si tamèn asperitatis sensum excitent , illud oritur tūm ex inæquali molis Terreæ superficie seu partium

extuberatione ; tūm ex mediocri earumdem rigiditate , quibus fit , ut papillas linguae paululum ingrediantur & gustus organum solo ferè contactu afficiant . Ariditas verò faucium repeti debet ex multis & amplissimis molis Terræ intersticiis , quæ salivalem hæmorem in ore diffusum excipiunt & detinent .

His in hunc modum expositis de naturâ , usu , & proprietatibus Terræ : quæres primò quomodo generari possint insensibiles Terræ partes ? Respondeo totum illud generationis negotium ex concrescente materiâ primi Elementi deducendum esse , haud parùm dissimili ratione quâ partes Aqueas produci dictum fuit : id tamèn discriminis est inter generationem Terræ & Aquæ , quod Terræ typus paulò majoribus constet spiraculis , quam typus Aquæ : hinc proculdubiò fit ut concreta in interiori typi cavitate materia Terræ sit partibus Aqueis paulò solidior . Quod verò attinet ad partium Terræ figuram , nihil obstat quominus asserere possim varios hic atque illic in interiori Terræ nucleo reperiri typos , qui concretæ materiæ subtili propriam semicirculi formam atque figuram tribuant : etenim cum tenuiores materiæ subtilis partes è typo semicirculari seu arcuato diffluant per spiracula paulò patentiora quam spiracula typi Phlegmatis generationi inservientis , debet concreta in interiori cavitate materia majorem partibus Aquæ soliditatem adipisci , & adeptam in typo

semicircularē seu arcuatā figurā servare.
Neque enim potest (*vide figuram quintam*)
materia subtilis A B semel intromissa per aper-
turā C totā recurvati typi C D cavita-
tem decurrere , quin subtiliores illius partes
effluant per spiracula E E E E , crassiores verò
in cavitate typi contentæ simul uniantur &
abeant in corpus solidum F G , quod per
aperturam D egreditur propriam recurvati
typi formam retinens. Sed quoniā materia
subtilis A B indesinenti fluxū propellitur ver-
sūs C , & tenuiores quoque partes semper ef-
fluunt per eadem spiracula E E E E , debent
pro variâ typorum magnitudine variæ formari
Terreæ partes semicirculares seu arcuatæ modò
crassiores , modò tenuiores , modò longiores ,
modò breviores & modò magis modò minùs
semicirculares , quæ plures simul congregatae &
invicèm intricatae necessariò in Terream molem
H I figuræ sextæ coalescunt , vel in similem
aliam ut in figurâ tertiatâ , pro vario modo quo
plures vel pauciores simul uniuntur.

Quæres secundò nūm positis variis Terrearum
partium figuris irregularibus , ut plerique con-
tendunt , æque bñè possint omnes propri-
tates deduci ac positâ figurâ semicirculari quam
admittimus ? Respondeo Terrenum Principium
non minùs regularibus ac determinatis parti-
bus quam Phlegma , Sal & Sulphur constare ,
nam si ex irregularibus figuræ partibus con-
staret , non posset distingui à tertio Cartesia-

norum Elemento, cuius propria forma atque natura in suminâ partium componentium irregularitate consistit: præterea ex omnium Chymicorum consensu Terra Damnata, aliis quantum fieri potest Principiis; ac præsentim Sulphure destituta albedinem præ se fert, quod quidem secùs accideret pösitâ partium Terræ componentium irregularitate; quarum aliæ angulis suis lumen reflecterent; aliæ vero obtusâ figurâ præditæ luminis actionem obtunderent; adeoque ex mole Terreâ emerget leucophæus potius quam albus color, quod repugnat experientiæ. Contrà vero positâ partium Terrearum figurâ semicirculari quæ ad sphæricam figuram proprius accedit quam omnis alia irregularis, debent illæ partes semicirculares undequaque lumen reflectere, in quo præcisè coloris albi ratio consistit: quod ita verum esse ulterius comprobare placet exemplo cretæ vulgaris albæ, quam saniores Philosophi dicunt constare partibus sphæricis; quæ lumen Solare in omnem sensum reflectunt: hinc eadem creta naturaliter levis & friabilis albescit. Ergo à pari quandoquidem candor est color nativus Tertiæ Principii levis ac friabilis asserere possum insensibiles illius partes nequaquam irregulari sed regulari, semicirculari scilicet figurâ præditas esse, quæ apprimè congruit nativis illius Principii proprietatibus.

Quæres tertio cur Terrenum Principium
fria-

friabilibus constans particulis liquidorum quantoquinque affusione dissolvi nequaque posse sit, dum tamèn Sal, cuius partes Terreis partibus multò solidiores sunt, in Aquis facile dissolvitur? Respondeo id tribuendum esse materiae æthereæ, quæ una cum Aquâ amplos Terræ poros subiens, impedit ne insensibiles Aquæ partes se restituant eo quo par est impetu ad partes Terræ dissociandas & dissolendas: at verò materia ætherea una cum Aquâ strictissimos Salis poros nullatenus ingrediens, non impedit quominus insensibiles Aquæ partes primo innatantes Elemento se restituant, & se restituendo tamen validum iustum impingant in pororum latera, ut Salis partes ab invicem dissocientur & dissolvantur. Adde partes Terreas, cum constent semicirculari figurâ, variisque uncis simul concatenentur, multò difficilius debere ab invicem separari liquidorum affusione, quam Salinas partes, quæ non nisi per juxta positionem invicem cohærent. Verum id clarius patebit in sequenti Capite, ubi de Saluum dissolutione agemus. Sed id prius ex suprà dictis concludere liceat, primò Terram Damnatam, sive Caput Mortuum esse mixtorum omnium Principium, quia eorumdem compositionem ingreditur tamenquam pars essentialis, & est fons & origo plurimum illorum proprietatum. Secundò insensibiles Terræ partes mediocriter rigidas esse, quia solidam simul & friabilem molem consti-

tuunt ubi, à consortio cæterorum Principiorum liberatæ sunt. Tertiò insensibiles hujusce Principii partes semicirculares esse , quia Terrea quæcumque moles solida atque friabilis plurimis instruitur amplissimis interstitiis , ex quibus Terræ insipiditas & levitas deducuntur. Unde non immeritò dixi Terram esse mixtorum Principium constans ex insensibilibus partibus mediocriter rigidis & semicircularibus. Quod præsenti Capite probandum suscepseram.



CAPUT QUARTUM.

D E

Sale in Genere.

SAL in genere definiri potest mixtorum omnium Principium constans ex partibus insensibilibus maximè solidis , rigidis , oblongis , & in Aquâ solubilibus. Probatur definitio per partes.

Dico primò Sal esse mixtorum omnium Principium , quia nullum reperitur in rerum naturâ mixtum corpus , quod Salinas in interiori textu particulas non recondat. Etenim Chymici ex omni Animalium , Vegetabilium & Mineralium genere Sal passim & ubique extrahunt. Qua de re si dubites , varios Animalium humores , solidasque eorum partes gustare non

recuses, vel distillare tenta; Plantarum succos
exprime, simplices earum infusiones Syrupo
affundas violaceo, vel tincturæ florum malvæ;
internas inspice Terræ Mineræ, & varia oc-
curret tibi Salium species Vitriolum scilicet,
Alumen, Sal Gemineum, Sal Marinum, Ni-
trum, Borax &c. Deinde Sal est fons & origo
essentialium mixti proprietatum: etenim ex
vario Salium concursu variæ oriuntur mixto-
rum mutationes, fermentationes videlicet,
dissolutiones, coagulationes & præcipitatio-
nes, imò tota sapidorum & odoriferorum
corporum actio, præcipua Medicamentorum
facultas, & multa alia inferius recensenda à
Sale proximè & immediate procedunt. Ergò
quandoquidem Sal in omni mixto reperitur,
& exercendis mixti proprietatibus proximè
inservit, illud non immixtum vocatur *mixte-*
rum omnium Principiū.

Dico secundò Sal constare partibus insensibi-
libus maximè solidis & rigidis, quod ex variis
Salium proprietatibus deducitur, ex gustu
nimirùm & olfactu, solidorum corporum dis-
solutione, heterogeneorum Salium fermenta-
tione & explosione, aliisque de quibus nunc
pauca sigillatim dicenda veniunt.

Cum ad gustum & olfactum producendum,
admota linguæ sapida, & naribus odorifera,
papillas nerveas non subire modò, sed etiam
aliqualem earumdem divulsionem efficere de-
beant, cumque nec talis fibrillarum linguæ,

nec pituitariæ narium membranæ divulsio fieri queat , nisi intromissæ particulæ soliditatem & rigiditatem habeant , necesse est particulas Salinas , ut potè quæ sunt sapidæ & odoriferæ , donari soliditate & rigiditate : quam sanè mirum in modum probat solidorum corporum dissolutio , cui promovendæ Salia plurimùm inserviunt . Nam nitro ad argentum , borace ad aurum linquandum quotidiè utuntur Auri fabri : similiter in arte Chymicâ ad varias Antimonii præparationes modò nitrum , modò boracem adhibentis , ut solida hujuscce Mineralis textura rarer fiat , atque mutetur modò in Emeticum , modò in Diaphoreticum Pharmaceutum ; quæ certè omnia fieri nequaquam possent , nisi integrantes adhibiti nitri vel boracis particulæ Salinæ maximâ donarentur soliditate ac rigiditate ; si enim minus essent solidæ ac rigidæ , non eo quo par est impetu in pororum latera impingerent , ad solvendam solidorum corporum texturam ; sed quoniam solidissimæ sunt , tām valido tāmque vehementi impetu pororum latera quatiant ac verberant , ut solidiorum corporum partes , licet sibi invicem strictissimè connexas disturbent atque dissocient . Quippè nemo in physicis adeò rudis & ignarus est , qui nesciat corpus eō validiorem ictum impingere , quò solidius & rigidius est . Hinc est cur Sublimatum corrosivum ex partibus acidis Salis atque Vitrioli , nec non ponderoso Mercurio constans , multo

citiùs atque vehementius superfluas ulcerum carnes exedat , quām acida Vitrioli & Salis seorsim sumpta. Hinc etiam est cur majoris energiæ sit Lapis infernalis cum argento , quām cum cupro paratus , quia scilicet argentum cupro solidius & gravius , plus soliditatis & gravitatis addit Salibus nitri corrosivis. Hinc quoque est cur Medici fixiora Salia , præsertim Alkalina potionibus Purgantibus , Ptisanis , vel Jusculis aperientibus permisceri jubeant , ut scilicet propria firmaque solidorum Medicamentum textura per solidas rigidasque adhibitorum Salium partes faciliùs dividatur. Denique millena tūm apud Artifices , tūm apud Chymicos ac Galenistas extant experimenta , quibus innata Salinarum partium rigiditas comprobetur.

Quod si Salium soliditatem ex simplici solidissimorum corporum dissolutione deducere liceat , quantò magis eam deducere licebit ex ipsorummet Salium fermentatione & explosione , quæ quidem in multò majori & vehementiori motu consistunt. An enim possent Salia tantam motūs quantitatem accipere , quantam in fermentatione accipiunt , aut tantam corporibus solidissimis communicare , quantam in explosione communicant , nisi solidissima & rigidissima essent ? atqui pulvis pyrius v. g. nullatenūs exploderet , nisi tūm acidis natri , tūm Alkalinis carbonum Salibus compositus esset ; nec in arte Chymicâ crocus

solis fieret fulminans , nisi esset paratus cum Salibus acidis Nitri & alkalinis particulis Spiritus volatilis Salis Armoniaci , quæ quidem Salia dum admoto igne moventur , vehementer impingunt in solidam Auri texturam , aggestasque hujuscce metalli moleculas hic atque illuc exagitant , & in omnem sensum vehementer propellunt : quæ certè omnia fieri nequam possent , nisi unaquæque pars Salina maximam soliditatem atque rigiditatem haberet : quod erat probandum .

Dico tertio *insensibiles Salis particulas oblongas esse* , quod ex omnibus iamjam recensitis illius Principii proprietatibus manifestè deducitur ; siquidem non possent Salia nervosas linguae , vel pituitariæ narium membranæ fibrillas subire atque divellere , solidorum dissolvendorum corporum poros permeare , nec invicem fermentescere & explodere , nisi singulæ illorum partes determinatam haberent longitudinem ; quod probatur ulterius ex propriis Salium crystallis , quæ oblongam , quam semper affectare solent , formam suscipere non possent , nisi unaquæque insensibilis illius Principii particula essentialiter oblonga esset ; etenim concretæ Salinæ partes exiguisimorum baculorum fasciculos ita repræsentant , ut alii fasciculi Salium horizontaliter , alii perpendiculariter , alii obliquè invicem disponantur à quemadmodum *in septima figurâ* videre est , ubi fasciculus A A plures Salis particulas horizon-

taliter, fasciculi B B perpendiculariter, fasciculi verò C C obliquè dispositas repræsentant.

Ex hâc autem variâ Salinorum fasciculorum positurâ non solùm oritur diversa figura crystallorum Nitri v. g. Salis Marini & Vitrioli, sed etiam Salium volatilium, quæ dum distillationis tempore, siccâ formâ vasorum parietibus adhærescunt, pro vario fasciculorum situ modò ramosam, modò echinatam, modò fusiformam, sed semper oblongam affectant formam, quod certè fieri nequaquam posset, nisi insensibiles illorum partes naturaliter oblongæ essent. Præterea Salia in mole æquali aliis Principiis multò præponderant, undè colligimus insensibiles illius partes longioribus multò superficiebus sese contingere, & non nisi exiguisima relinquere interstitia; sed non possunt Salinæ longioribus quam aliorum Principiorum partes superficiebus sese contingere, quin oblongâ figurâ donentur, etenim, quemadmodum præcedenti capite probavimus, terream molem esse aliis æqualibus Principiorum molibus leviorem, quia insensibiles Terreni Principii partes ampliora relinquunt interstitia; ita & à contrario Salina moles gravior est, quia particulæ Salinæ longioribus superficiebus sese contingunt & non nisi exiguisima relinquunt interstitia. Porro pellucida sunt Salium Crystalli omnes, quod interstitiorum rectitudinem arguit, comprobatque; sed non possunt commodius solidi corporis inter-

stitia rectitudinem servare, quam positâ figura partium componentium rectâ pariter & oblongâ, præsertim in corporibus solidissimis, quorum interstitia exiguisima sunt, ut in Salinâ quâlibet mole. Ergo à primo ad ultimum colligere licet Salinas partes insensibiles oblongas esse; quod erat probandum.

Dico quartò *Sal aquis dissolvi*, in quo distinguitur ab omni alio Principio, nempe à Terrâ, quam Aquæ nullatenus dissolvunt, à Sulphure quod cum Aquis nisi mediante Sale permisce ri nequit, & si Spirituum genus omne cum Aquis permiscetur, id partim ex Aquâ, partim ex Salibus propriam spirituum compositionem ingredientibus repetendum esse nemo negat. Sal igitur solum est Principium, quod Aquis dissolvitur, etenim, ut vulgo fertur, Salia non agunt nisi soluta, nec dissolvi possunt nisi à liquido Phlegmate. Qui autem fiat hæc illorum dissolutio nunc expendamus.

Cum igitur Salina moles immergitur Aquis, aut Aqua Salinæ moli affunditur, tunc insensibiles Aquæ partes ingrediuntur Salinæ molis interstitia. Hæc autem interstitia, quoniam sunt exiguisima, ob rationes superius allatas, Aquæ particulas unâ cum solo primo Elemento excipiunt, nullumque dant aditum materiæ æthereæ, quæ partes aqueas flectendo, comprimendo, & in omnem sensum agitando, illis liquiditatem tribuit. Insensibiles verò Aquæ partes, ut primum subeunt Salium inter-

stitia & à compressione materiæ æthereæ sunt liberæ, propriâ vi elasticâ se restituunt, & se restituendo rigidas, oblongas, & secundum longitudinem dispositas Salis particulas quatunt, dissociant ac dissolvunt. Sed cùm fieri non possit Salinarum partium separatio & dissociatio, quin amplientur interstitia, facilisque pateat aditus circumstanti materiæ æthereæ, hæc quâ datâ portâ ruit, flexiles Aquæ partes inflectit, easque intorquet circâ rigidas Salis particulas, quæ deinde simul unitæ liquidum Salsum constituunt. Quod ut clarius pateat, octauam respice figuram.

Sit A vas ex quo insipidum Phlegina B fluat in subjectam Salis molem C C, tunc singulæ flexiles Phlegmatis partes Salinarum partium interstitia cum solo primo Elemento subibunt, adeoque propriâ vi elasticâ restitutæ impingent in solidas rigidasque Salis particulas, quas ab invicem disturbabunt, easque dein adeò involvent, ut tandem duæ, vel plures simul unitæ amborum Principiorum particulæ constituant liquidum D D, Aquam Salsam repræsentans; cuius quidem liquidi Salsi singulæ particulæ ex duabus ad minimum insensibilibus partibus, nempè alterâ Salis, alterâ Phlegmatis strictè invicem colligatis constent.

Quod autem in omni Saliūm dissolutione, insensibiles Phlegmatis partes sola subeant Salinarum partium interstitia, probatur ex eo quod Salia solvantur, intactâ illibataque pro-

priâ cujuslibet insensibilis Salinæ particulæ figu-
râ ; idque multiplici experimento evincitur ,
siquidem quantacumque Aquæ vulgaris copia
affundatur minimæ Salis Marini moli , constan-
ter evenit , ut factâ Phlegmatis vaporatione ,
remaneat in fundo vasis Sal , eandem quam
ante dissolutionem naturam retinens : idque
facili negotio experiri licebit , non tantum in
Sale Marino , sed etiam in Alumine , Nitro ,
Vitriolo , Sale Gemmeo , Sale Tartari & aliis ,
quæ ut purificantur in arte Chymicâ , quotidie
in Aquis dissolvuntur , soluta filtrantur , &
filtrata ad siccitatem , vel ad pelliculam vapo-
rantur , undè puriora quidem , (factâ scilicet
separatione partium Terrearum) sed constan-
ter eadem remanent .

Verùm ne quis pure fictitiam & hypothe-
ticam credat memoratam flexibilium Aquo-
sarum partium inflexionem circâ rigidas &
oblongas Salis particulas ; advertat quæsò Sa-
linas partes , ut potè multò solidiores & specie
graviores partibus Aqueis , nisi simùl essent
unitæ & contortæ , non posse in medio liquido
suspendi , nec suspensas diù retineri ; & vel
levi datâ succutione vasis liquidum Salsum
continentis , Salinæ partes specificâ gravitate
præcipitarentur ad fundum ; quod repugnat ex-
perientiæ : etenim quocumque modo succu-
tiatur vas Aquam Salsam continens , particulæ
Salinæ semper Aquosis unitæ , atque ligatæ
remanent in toto liquido , absque ulla præci-

pitatione : præterea post factam Salium dissolutionem liquidior est Aqua , & liquiditatem diutiùs conservat , ut superius probatum fuit , dum de Aquæ congelatione sermo erat : atqui non potest Aqua liquiditatem servare , nisi à materiâ æthereâ flectantur insensibiles illius partes , & globulosam affectent formam ; Salinæ verò particulæ , utpote quæ rigidæ & oblongæ , flecti non possunt quin disrumpantur : ergo in simplici dissolutione Salium , debent illorum partes rigiditatem servare , Aquosæ verò inflecti & circa Salinas intorqueri ; atque hinc est cur si modica tantum Salis copia solvatur in maximâ Phlegmatis quantitate , tunc ejusmodi Aqua linguæ admota , nullum dissoluti Salis indicium præbeat , quia unaquæque particula Salina pluribus involvit Phlegmatis partibus ; contrà verò si magna Salis copia solvatur in minimâ Phlegmatis quantitate , tunc ejusmodi Aqua linguæ admota organum gustūs vehementer ferit , quia insensibiles Salis particulæ per paucis involvuntur aqueis partibus .

Denique salia omnia , utpote quæ rigidis , inflexilibus , & oblongis constant particulis , numquam liquiditatis motum acquirere possent , nisi unirentur & involverentur cum flexilibus Phlegmatis partibus , cuius unionis ratione fit , ut salia liquiditatis motu papillas linguales ad gustum , membranam pituitariam ad olfactum , solidiorum corporum poros ad

eorumdem dissolutionem pervadant, aliaque id genus omnia præstent: unde patet cur salia non agant nisi Phlegmata soluta.

Quod si quæras cur Phlegma non possit dissolvere nisi certain & determinatam ejusdem Salis quantitatem, & cur idem Phlegma imprægnatum Sale, alia Salia dissolvat atque suspendat? Respondeo id oriri tūm ex variâ crassitie partium Aquæ, nec non diversâ amplitudine pororum Salis; tūm ex diversâ longitudine Aquearum, nec non longitudine & crassitie Salinarum partium; primò ex crassitie partium Aquæ & pororum Salis amplitudine, quia Aquæ partes certæ crassitiei possunt tantum subire poros certæ cujusdam amplitudinis; hinc est cur non omnis Aqua omnia indiscriminatim Salia dissolvat, & una præ aliâ in variis operibus eligatur; ob eandem rationem Chymici distillatam pluviæ Aquam aliis præferunt, quia cum constet particulis tenuioribus, ad exiguisimos Salinorum corporum poros subeundos maximè idonea est; secundò ex diversâ longitudine Aquearum, nec non longitudine & crassitie Salinarum partium; quia Aquæ partes certæ longitudinis possunt tantum involvere, atque adeò suspendere Salinas partes certæ cujusdam longitudinis & crassitiei: breviores enim Phlegmatis partes involvere atque suspendere nequeunt crassiores & longiores Salis particulas. Hinc est cur Aqua marina, quæ Nitrum, Alumen, Vitrio-

Ium & Saccharum dissolvit, nequit tamèn ulte-
riùs Sal Marinum dissolvere atque suspendere;

Neque mireris quòd plurima diversæ naturæ
salia, in Aquis dissoluta, liquidam molem
non sensibilièr augeant; quia quâ proportione
exsolvuntur salia, & ab aqueis implicantur,
câdem exit aér tûm ex strictis salium poris,
tûm ex numerosis & per amplis Phlegmatis in-
testiniis: quod adeò confirmat experientia, ut
ipse aér in bullas exire videatur. Verùm hæc
de salibus in genere dicta sufficient, ad præ-
cipuas illorum differentias accedamus.



CAPUT QUINTUM.

De Præcipuis Salium Differentiis,

Ac primò quidem

*De Salis Acidi naturâ, genesi, &
proprietatibus.*

IN stabiliendis præcipuis salium differentiis, hæc duo diligenter sunt observanda, ncmpe illorum superficies, & modus quo è mixtis educuntur: ac primò quidem cum sal omne, ut superiori Capite probatum fuit, insensibilius rigidis, & oblongis partibus constet, debet illorum superficies vel exteriùs undequaque lævigata esse, & tunc salia vocantur Acidæ;

vel undequaque inæqualis, aspera & limarum instar scabra, & tunc Alkalina dicuntur salia; vel denique partim scabra, partim verò perpolita est salinarum partium superficies, & tunc ex acidorum & alkalinorum salium concursu salia salsa formantur, quorum triplex est genus; cum enim æqualis est portio salium Acidorum & Alkalinorum, totius Salsi superficies ex æquo scabris & lævigatis superficiebus constat, & tunc Sal perfectè Salsum dicitur: si ex acidi prædominio Salsum magis ex unâ parte perpolitum, quam ex alterâ scabrum sit, dicitur Salso-acidum; econtrà verò Sal vocatur Salso-acre vel Salso-Alkalinum, si ex alkalini Salis prædominio, sit scabra magis quam lævigata totius Salsi superficies: quæ omnia ita esse probabitur inferiùs, & ab effectibus, seu ut vulgò fertur, à posteriori demonstrabitur.

Ex vario autem modo quo Salia è mixtis educuntur, varia fortiuntur nomina, siquidem alia denominantur volatilia, alia fixa, alia essentialia; Volatilia ea dicuntur, quæ exiguo igni admota, & è consortio cæterarum mixti partium liberata ad vasorum apicem se se efferrunt: Fixa verò ea dicuntur Salia, quæ maximo igni exposita, vasorum summitatem petere non possunt, sed in vasis fundo constanter jacent ac remanent: Essentialia denique ea dicuntur, quæ è mixtis mediâ crystallisatione educuntur.

Circà incmoratas Salium differentias, duo cautè notanda veniunt, primùm quod unum &

idem Sal potest esse simul Volatile & Alkalīnum, ut Sal cranii humani, sanguinis, & urinæ; vel Volatile & Acidum, ut Sal succini; vel Volatile simul & Salsum, ut Sal armoniacum. Similiter sal Fixum vel Alkalīnum est, ut sal tartari; vel Acidum, ut sal calcotharis; vel salsum, ut sal Marinum. Denique salia essentialia, tametsi ut pluriūm acida, & raro vera sint alkalina, possunt tamēn esse Salsa, ut in nitri, tartarie crystallis observatur. Itaque quoties volet quispiam propriam cuiuscumque Salis naturam & illius differentias inquirere, non ei sufficiat, cum nonnullis, volatilitatem ejusdem Salis, vel fixitatem noscere, sed præterea variis quærat experimentis an Sal acidum sit, an alkalīnum, an salsum; ita v. g. cognitâ semel humani sanguinis Salium volatilitate (ex eo quod rectificationis tempore vasorum summa petant) si velit dignoscere an hæc Salia sint alkalina, debet illa syrupo violaceo, vel, quod melius est, tincturæ florū malvæ miscere, ac observare utrum cæruleus horumce liquidorum color in viridescentem convertetur, utrum etiā cum acidis permixta fermentescant; potest quoque injicere hæc Salia in solutionem sublimati corrosivi, ut verum exinde generetur præcipitatum. Idem circa Salia cætera alkalina tentandum erit, sive volatilia, sive fixa sint; si autem velit dignoscere utrum acidum sit Sal, observet an prædictis tincturis cæruleis rubeus nascatur color;

an cum alkalibus fermentescat, an æqualem punctionis sensum excitet in organo gustus, sanguinem & lac coagulet, aliaque hujuscemodi præstet, de quibus infrà.

Istud secundò notari debet, neimpè plurima reperiri corpora, quæ Salium nominibus insigniuntur, tametsi Salia non sint, hujus generis sunt crystalli lunæ sive argenti, veneris sive cupri, martis sive ferti, Sal saturni sive plumbi, atque corrallii &c. quæ ex stricto acidorum Salium & metallicarum partium connubio ità componuntur, ut Aquis affusa dissolvantur in partes integrantes, & dissoluta organum gustus diversimodè ferire possint propter oblongam & rigidam partium insensibilium formam, quam cum veris Salibus communem habent; interim illa non quidem Salia simpliciter, sed Salini-formia vocari debent, ut à veris Salibus distinguantur.

Quandoquidem hæc est præcipuā & essentia-
lis Salium alkalinorum proprietas, ut cum aci-
dis fermentescant; hinc nonnullis nata fuit
occasio dicendi omnia indiscriminatim cor-
pora, quæ acidorum affusione fermentescunt,
alkalino Sale referta esse: ità v. g. argentum
alkalino Sale constare dicunt, quia dissolvitur
& fermentescit ab affuso acido Nitri spiritu,
idemque de cæteris metallis sentiendum cla-
mant, in quibus semper veruin Sal Alkalimum
supponunt, quod occultum vocant, quia solâ
fermentatione manifestum fit; verùm huic opi-
nioni

nōni nullatenūs assentiri possum, siquidem Sal omne debet posse dissolvi in Aquis, & illius partes semel solutæ debent esse sapidæ, quod huic occulto, vel potius chymerico Sali alkalinio nullatenūs convenit; nam tametsi alkalinum Sal cum Acidis fermentescat, corpus omne, quod cum Acidis fermentescit, non debet dici Sal Alkalimum, istius enim Salis plurimæ sunt aliæ, præter fermentationem ab affusis Acidis, essentiales proprietates suo loco recensendæ. Adeoque ut omnis hâc de re tollatur terminorum æquivocatio, Alkalia simpliciter vocari debent quæcumque corpora solidæ, insipidae, & ab affusis aquosis liquidis indissolubilia, quæ cum Acidis fermentescunt, cujusmodi sunt Metalla omnia, Antimonium, Corallium, Geminæ, Terraque ipsa vulgaris, quam pedibus calcamus. Salis vero Alkalini nomen reservandum erit, ad significandam congeriem partium insensibilium rigidarum & oblongarum, adeoque in Aquis solubilium & sapidarum, quæ scabram undequaque & inæqualem habent superficiem, ut sequenti Capite probabitur.

Alia denique sunt corpora, quæ tametsi cum Acidis non fermentescant, Alkalia quoquè vocantur, quia scilicet absorbent, retinentque in proprio textu omnia indiscriminatum affusa liquida: quæ quidem proprietates cum convenient Terreno Principio naturaliter poroso, debent ejusmodi Alkalia, Terrestria dici & ab

sorbentia, ut ab aliis distinguantur corporibus Alkalinis; ejusmodi autem Alkalia Terrestria, sive absorbentia sunt Cornu Cerui ustum, Cranium humanum Philosophicè præparatum, Spodium Græcorum, sive Ebur ustum, Bolus armeniæ, pulvis Cancrorum fluviatilium &c. Nunc sigillatim perpendamus genesim & naturam Salium Acidorum, Alkaliorum & Saltorum, atque initium ducamus à Sale Acido, ut potè quod fræquentius se prodit in rerum natura, & est cæterorum omnium Salium basis & fundamentum.

Sal Acidum in genere definiri potest, illa Salis species, cuius insensibiles partes rigidae, & oblongæ, undequaque perpolitam, seu levigatam habent superficiem. Quod ex omnibus hujuscce Salis proprietatibus manifestè deducitur: etenim primò Acida linguae admota, & qualem punctionis sensum excitant in organo gustus, quod quidem fieri non posset, nisi insensibiles Acidorum partes rigiditatem cum levigata superficie conjunctam haberent, ut vulgarium acicularum exemplo probari potest, siquidem acicula, dum pannum vel linteum subit, panni, linteivè fibras ità removet à mutuo contactu, ut nulla alia fiat separatarum fibrarum disruptio, quia nimirum acicula levigatam & undequaque perpolitam habet superficiem; ità similiiter insensibiles Acidorum partes in Aquâ solutæ, dum liquiditatis motu linguae fibrillas subeunt, simplicem earundem fibrillarum sepa-

Fationem , absque novâ partium disruptione inducunt , quod deducitur ex æquali punctionis sensu quem excitant , undè colligere licet unam . Quamque insensibilem Salis Acidi particulam exteriùs lævigatâ & undequaque perpolitâ superficie donari .

Secundò Salia Acida pura ac impermixta (id est ab aliis corporibus quantum fieri potest liberata) plerūmque liquidâ formâ se produnt , & itâ firmiter adhærent ac uniuntur partibus aqueis , ut hæc duo Principia semel unita nullatenus possint ab invicem separari : atqui omnem immediatum corporum contactum per extimam tantum eorumdem superficiem fieri nemo negat ; nihilque magis concurrit ad intimum & immediatum duorum corporum contactum , quam eorumdem lævigata superficies , ut patet ex Physicis : Ergo ut Acida flexibili bus & lævigatis Aquæ partibus intimius quam alia Salia jungantur , debent insensibiles illorum partes exteriùs lævigatâ , & undequaque perpolitâ superficie donari . Quòd autem Acida semel in Aquis soluta intimè jungantur Aqueis partibus , patet ex eo quod illa plerūmque liquores constituant Acidos Nitri v. g. Salis , Vitrioli , Aluminis & Aceti , qui liquores Acidi , vel sibi ipsis relictí , vel absque ullo corporis alterius additamento , diversimodè tractati , mediâ vaporatione dissipantur , vel saepius distillati penitus atteruntur , potius quam Acidas partes seorsim ab aquosis partibus suppeditent ; quòd

secūs accidit in aliis Salibus, Alkalinis nempe vel Salsis, quæ plerūmque siccâ formâ se produnt, & semel in Aquis soluta rursùs concrescunt, factâ aquosi liquidi vaporatione, si fixa sint; vel mediâ sublimatione, si volatilia: verum quidem est quod liquores Acidi Metallicarum partium ope concrescere possunt; videimus enim Spiritum Nitri junctum partibus integrantibus Argenti, Lunæ Crystallos vel lapidem infernalem constituere; Acidas spirituum Salis atque Vitrioli partes integrantibus Mercurii partibus junctas, sublimatum corrosivum efformare; nec non Acida vulgaris aceti converti in Veneris vel Martis crystallos, si cupro vel ferro, in sal Corallii si Corallio; & in sal Saturni, si plumbo jungantur: sed in omnibus hisce concretionibus mera formantur corpora salini-formia, potius quam Acida pura ac impermixta concreta; in quibus efformandis corporibus salini-formibus Acida semper intimè junguntur aqueis atque metallicis partibus; idque non solum deducitur, ex modo quo illa efforman- tur salini-formia, verum etiam ex institutâ eoruindein corporum analysi Chymicâ, etenim si Lunæ Crystalli, vel sal Saturni, aliaquæ hujuscemodi distillationi mandentur, liquores fundunt Acidos, remanentibus in retortæ fundo metallicis partibus, vel si eadem salini-formia in Aquis dissolvas, & dissolutis novum affundas corpus aptum præcipitationi comparandæ, pro- prius videbis metallum pulveris formâ præcipit.

atum, quod mediâ calcinatione fusum rursus naturalem acquirit formam. Idem paucis mutatis dicendum erit de nonnullis mineralibus salibus, quæ licet Acida dicantur, vera tamen sunt mixta ex Acidis semper, Aqueis, Terreisque, & nonnunquam Metallicis partibus composita, ut videre est in Sale Gemmeo, Alumine, atque Vitriolo. Hæc autem corpora si seorsim distillationi mandentur, singula Acidos propriosque fundunt liquores, remanentibus in vasis fundo Terreis atque metallicis partibus; ultimæ verò partes metallicæ, continuatâ distillationis tempore vehementissimâ ignis torturâ aliquandò sursùm feruntur cum plurimis Acidis, & per paucis aquosis partibus, fluuntque in vas recipiens, ut videre est in Vitrioli oleo glaciali; quod eatenùs nonnumquam siccâ formâ se prodit, & ab affusâ simplici aquâ fermentescit, quatenùs Salibus Acidis, atque metallicis particulis Alkali vices gerentibus componitur. Non potest autem in arte Chymicâ è mixtis educi Sal Acidum purum ac impermixtum, quod siccâ formâ se prodat, quia videlicet Acida semper intimè junguntur aquosis, terreis atque Sulphureis partibus mixtorum compositionem ingredientibus; & hæc est intima partium Acidarum cum Aqueis, aliisve Principiis unio, quæ maximum mihi suppeditat argumentum dicendi, unamquamque insensibilem rigidam & oblongam salis Acidi particulam, undequaque exterius perpolitam esse, quod nunc probandum suscepseram.

Neque dicas sal volatile succini, quod mediæ distillatione educitur, quod tincturæ cœruleæ florum maluæ rubicundum inducit colorem, quodque Aciditatis sensum excitat in organo gustus, & cum Alkalino Tartari oleo fermentescit, Acidum esse purum ac impermixtum, quod siccâ formâ se prodit! etenim sal illud succini, licet Acidum sit, sulphureis terreisque partibus junctum esse probat fætidus illius odor. Acida quæcumque salia, propter lævigationem quâ naturaliter donantur superficiem, terreis atque sulphureis partibus uniri, iisdemque firmiter adhærere, probant illius salis reliquæ proprietates inferius recensendæ, probat quoque Alkalini salis falsorumque omnium generationem, quæ sequentibus Capitibus explicabitur.

De salium Acidorum genesi, non est cur dicamus, cum nonnullis, dari ab ipso mundi exordio universalem quemdam spiritum Acidum, per aquas aëremve diffusum, qui illibatâ formâ, eâdemque remanente propriâ Acidâ naturâ, concurrat ad mixtorum omnium generationem; etenim exinde sequeretur quælibet Acida naturalem habere indivisibilitatem, quod corporis naturæ repugnat & experientiæ adversatur; siquidem divisibilitas est proprietas essentialis omni quantitati; & omnia Acidæ sunt quanta, id est determinatam habent quantitatem seu magnitudinem, atque figuram, adeoque illa naturaliter dividi possunt ac debent, & re ipsâ quotidiè dividuntur: quâ de-

re si dubitas quælibet indiscriminatim Acida perpende, eaque vel sibi ipsis relinque, vel diversimodè tracta; & tunc proprio edictus experimento videbis Acetum distillatum sibi ipsi relictum suam successu temporis Aciditatem deponere; spiritus verò Acidos eosque corrosivos Nitri, Salis, atque Vitrioli, nec non ipsius oleum glaciale, Antimonii butyrum, aliosque idgenus omnes Acidos liquores mediantibus fermentationibus, & distillationibus repetitis ità penitus atteri, ac dividi, ut nullas amplius Acidii proprietates retineant; sed inferius probabitur tantam esse salium Acidorum in mixtis necessitatem, ut omnia citò perirent mixta, nisi quâ proportione Acidæ partes destruuntur, alia de novo generarentur, quod ut commodè & indefinenter perficiatur, nihil vetat quominus asserere possim Acidia quælibet pura quotidie in propriis typis generari ab eodem concrecente primo Elemento, quemadmodum Aquam & Terram generari suo loco probatum fuit, hoc unico discrimine, scilicet quoniām particulæ Acidæ multò rigidiores sunt partibus Aqueis & Terreis, debeant priorum typorum recto ordine dispositorum spiracula multò patentiora esse spiraculis typorum Aquæ & Terræ generationi inservientium; lœvigata verò Acidoruim, simul & Aquarum Terrearumque partium superficies ex perpolitis interioribus typorum parietibus deduci potest ac debet.

Salis Acidū proprietates tòt tantæque sunt, ut si nonnullis fidem adhiberes, omnia ex simplici Acido mixta conflari dices; etenim qui universalem supponunt spiritum Acidum indivisibilem, à primo mundi exordio creatum, & per aëta diffusum, illum exinde sic ad varias terræ fruges amandari credunt, ut Mineralia quæque, Vegetabilia singula, & Animantium corpora foveat atque conservet: neque enim, ut ajunt, solidescere possunt Metalla, Mineraliaque concrescere, nisi ab Acido succo, quem universalis ille fundit spiritus. Similiter plantarum vegetatio & Animantium nutritio adeò indigent nitroso spiritu, ut absque illo pereant atque sufflaminentur fermentativi humorum omnium, succorunye motus; siquidem præcipuum fermentationis instrumentum esse sal Acidum fatentur Chymici omnes. Præterea varia probant experimenta, unum idemque Acidum aëris nitrosum, modò, in Vitriolum, modò in Alumen, plerumque in Nitrum vulgare, vel in sal Geminum converti, pro diversitate corporum quibus affunditur. Alii verò reperiuntur Authores, qui cùm mixta omnia ex unico Principio homogeneo oriri nequaquam posse viderint, & memoratas Acidorum proprietates agnoverint, omnia ex Acido simul & Alkali tanquam ex genuinis heterogeneis Principiis deducere tentant, quibus sanè minimè assentiri possum, id quidem experientiâ compertum est, videlicet sal Acidum

dum majori copia reperiri in mineralibus & vegetabilibus, nec non ex diversâ salis Acidicâ Terreis atque Sulphureis partibus mixtâ, plurimas oriri salium differentias, non solum ratione fixitatis & volatilitatis salium, verum etiam coruindem superficierum: etenim si quæ naturaliter lœvigata sunt Acida, reddantur accessione Terræ & Sulphuris scabra, tunc Sal ex Acido fiet Alkalinum, dein ex genitis semel scabris alkalinis, & lœvigatis acidis salibus, si novus fiat concursus, efformabuntur salia diverse naturæ, de quibus in sequentibus agendum veniet. Quamobrem videamus nunc, quâ fieri possit, ut unum & idem Acidum non-nulla corpora dissolvat, alia vero coagulet: quas quidem variis corporibus mutationes inferre solet, non per se, & specificæ (quod nonnullis placet) qualitatis beneficio, sed quatenus in Aquis solutum, & à fluido æthereo agitatum, dissolvendorum, vel coagulandorum corporum poros diversimodè subit. Ità cum Acidum, cujuslibet corporis poros, seu interstitia, una cum solâ primi Elementi materia subit, vel vehementer ab ipsâ rapitur, impingitque in latera pororum, vel absque ulla inditâ vi sensibili, pororum lateribus adhaerescit; si primum, corpus fermentatione dissolvitur; si secundum, totius mixturæ coagulum inducitur. Atque itâ se habet materia primi Elementi Acidum rapiens, haud parùm dissimilatio, quâ aqua fluens & corpus aliquod

Solidum rapidissimè trahens ; ubi enim solidum innatans aquæ impingit in pontem , vel in aliud corpus , illud disturbat , atque diffringit , ubi verò occurrit cavitati sibi aptissimè respondenti , ipsi adhærescit ; similiter Acidum innatans materiæ primi Elementi disturbat corporum partes , in quas impingit , & adhærescit illis partibus , quarum interstitiis aptissimè respondet : videmus enim Spiritum nitri v. g. argento , vel oleo tartari assusum , fermentationem , lacti verò vel sanguini mixtum , coagulationem inducere ; quia pori argenti , & interstitia à salibus alkalinis olei tartari relicta , sufficienter hiant , patentque , ut Acidæ nitri particulæ in illis moveantur , & veheinenter agant in latera ; contrà verò lac & sanguis , ntpotè corpora copioso sulphure referta , ea habent exigua ramosarum partium interstitia , quæ ab iisdem Acidis nitri particulis penitus occluduntur ; atque adeò materia ætherea , quæ anteà fluere solebat intrà ramos sulphurum , ad liquiditatem inducendam , nūnc aliò determinari cogatur .

Similiter de quolibet alio Acido ratiocinandum est , siquidem præcipuæ Acidorum proprietates sunt plurima corpora dissolvere , cum alkalibus fermentescere , & sulphura coagulare , idque toties contingit , quoties Acida eam obtinent molèm , quâ possint permeandorum corporum poros subire , unâ cum solâ primi Elementi materiâ . Etenim si crassior vel tenuior sit Aci-

darum partitum moles , nulla est corporis fermentatio , nullaque sulphuris coagulatio , quia scilicet Acida crassiora poros subire nequeunt , tenuiora verò ita lentè rapiuntur à fluido æthereo , ut nec ad fermentationem inducendam , vim sufficientem habeant ; nec sufficienter sistere possint , ad sulphura coagulanda : atque hinc est cur omne Acidum non omnia indiscriminatim sulphura coagulet , nec cum omnibus alkalibus fermentescat : Acida enim alia sunt aliis crassiora , alia tenuiora , breviora nonnulla , longiora alia , & sic deinceps : hinc quoque est cur plurimæ dentur accidentales Acidorum differentiae , quarum ratione vix duo reperiri possunt Acida , quæ per omnia simul convenient , tametsi easdem semper habeant essentiales proprietates , ex rigiditate simul & ex æquali superficie deducendas : ita videmus v. g. omnes homines , essentialiter eosdem , habitâ videlicet ratione unionis animæ cum corpore , adeò variis accidentibus ab invicem distingui , ut vix unus alteri perfectè similis reperiatur .

Inter accidentales verò Acidorum proprietates , duas potissimum numeremus . Acidus v. g. Salis spiritus , qui nonnumquam aurum dissolvit , spiritui vini permixtus , absque præviâ fermentatione , varias in medio liquido efformat concretiones ; Acidus è contrâ nitri spiritus , qui numquam aurum dissolvit , spiritui vini permixtus concretiones nullas sed ignem producit .

Alkalini naturâ, genesi, & proprietatibus.

CAPUT SEXTUM.

DE

*Salis Alkalini naturâ, genesi, &
proprietatibus.*

ANequâm Sal Alkalimum definiatur, non abs re erit in ipso limine advertere, hæc falia nomen à plantâ kali, Gallicè la Soude, desumpsisse; quia calcinata in sal fixum Alkalimum tota fermè convertitur. Sal autem Alkalimum definiri potest ex salis species, quæ ex acidis, terreis atque sulphureis partibus constans, undequâque scabram, & inæqualem habet superficiem.

Prima pars definitionis genus designans per se patet, nempè sal Alkalimum veram esse salis speciem, siquidem in aquis dissolvitur, organum gustûs ferit, cum acidis fermentescit, & promovendæ solidissimorum corporum dissolutioni plurimùm confert; demùm, ut paucis dicam, essentiales omnes salis proprietates illi conveniunt, ergò verum est sal, adeoque, ut patet ex his quæ superius dicta sunt de sale in genere, constat ex partibus rigidis, oblongis & in aquâ solubilibus.

Secunda pars definitionis, nempè sal Alkalimum ex acidis, terreis, atque sulphureis partibus.

confari ; probatur ex eo quod omnia fermenta
vegetabilia , quæ ex acidis tantum , terreis ,
atque sulphureis partibus componuntur , ut ex
analysis manifestum fit , possint tamèn calcinata
sal Alkalinum suggerere. Quâ de re si dubitas ,
vulgare mustum ex unâ parte , ex alterâ verò
generosum , ab eodem musto mediâ fermenta-
tione profectum , vinum distillationi manda ,
& vulgare illius vini tartarum vel distillando ,
vel calcinando explora ; & protinus videbis
omnia quidem racemorum principia in musto ,
vino , atque tartaro delitescere , Acidum nempe
Sal , Sulphur , Terram , Aquam & Spiritum :
sed ita invicem combinata sunt hæc racemo-
rum Principia , ut sulphur in musto crassum ,
viscidum & fixum confusim involvat acidas
terreasque partes ; contrà verò illud idem sul-
phur , mediâ fermentatione rarefactum , & cum
acidis volatilioribus , aquosisque partibus mix-
tum , majorem spirituosi vini partem constituit ;
aliæ verò partes , nempè terra & acida fixiora ,
fundo , lateribusque dolii adhærescunt , &
tartarum componunt , quod simplici calcina-
tione fermentè totum convertitur in ^{et} fixum
Alkalinum. Idem observare licet in plu-
rimis aliis vegetabilibus , cujusmodi sunt
absinthium , rosmarinus , tamariscus &c. Quæ si
simpliciter concrementur , maximam salis Alka-
lini copiam fundunt ; contrà verò si præviâ
fermentatione distillentur , supeditant spiritum
ardentem acido-sulphureum.

Ex mineralibus, solum sumamus nitrum vulgare, seu salpetræ, quod mediâ distillatione fundit spiritum acidum potentissimum, relictâ in fundo vasis terrâ, contra verò mediâ calcinatione illud idein nitrum tantam suggerit salis Alkalini copiam, quantum tartarum ipsum vulgare; etenim si æquales nitri, tartarique partes pulveratas accipias, misceasque exsiccatas, & deìn mixtura admoto simplici carbone ignito calcinetur, ea in instanti convertitur in sal fixum Alkalinum, adeò ut pluriès observaverim dimidiā istius mixturæ partem in merum sal Alkalinum conversam fuisse.

Omnia fermè animantium corpora Alkalinis salibus potissimum referri nemo diffitetur, etenim sive sanguis, urina, bilis, cranium, cornua imò & ossa omnia, partesque animantium musculosæ scorsim sumptæ, sive totum animalis corpus distillentur, maximam semper educes salis Alkalini volatilis copiam, tametsi illa animantia ex acidis, terreis, aquosis, atque sulphureis diversæ naturæ partibus, absque ullo vel saltem parvo Alkalino sale nutrita fuerint; quæ certè in viventium animantium corporibus tanti Alkalini salis generatio, atque productio, non nisi ex Acidis, Terreis, atque sulphureis partibus invicem colligatis oriri potest.

Qui autem fiat salium Alkalinorum generatio inquiramus, quod ut clarius intelligatur, pauca partim ex suprà dictis, partim ex inferiùs

probandis præmittenda sunt; ac primò quidem terrenum principium ex partibus mediocriter rigidis, & inæqualiter semicircularibus, ita componi, ut illæ plurimos hic atque illuc omni liquido pervios relinquant poros, vel ut melius dicam interstitia plurima; secundò acidas quælibet partes, cum oblongâ rigidâque formâ, æqualem & perpolitam superficiem habere, cujus ratione eadem acida firmiter uniri & adhærere possunt partibus terreis atque sulphureis: tertio inferius probabitur sulphura quælibet ramosa, flexiliaque variis ramis facile implicari, externis corporibus adhærescere, aliisque connectendis Principiis plurimum inservire. His ita præmissis, quandò calcinatur v. g. Tartaruim vulgare, ignis beneficio turbinatim exagitantur omnes illius partes, salinæ videlicet, sulphureæ, & terreæ; & dum acida fixa, terreis sulphureisque partibus solidiora, in gyrum acta, vorticis superficiem affectare tentant, occurunt semicircularibus terreni Principii partibus, quibus pro ratione molis atque figuræ apprehenduntur, & detinentur, quarum unionem maximè augent ramosæ expansi sulphuris partes, undè tandem acida priùs lœvigata, terræ atque sulphuris accessione, strictâque unione redduntur scabra; haud parùm dissimili ratione, quâ cylindricus baculus naturaliter perpolitus, annuloruim accessione quibuscum unitur, firmiterque filo ligatur, fit corpus scabrum.

Circà generationem salis tartari fixi, istud caute
notandum venit, videlicèt non omnia acida om-
nibus indiscriminatim terreis partibus, atque
sulphureis adhærescere, sed illa tantùm, quæ
congruas superficies ac moles habent. Etenim
cum acida sint alia aliis crassiora, & terreni
Principii partes inæqualiter semicirculares, de-
bent acida tenuia minimis semicirculis, crassa
verò majoribus implicari; & quæ membrorata
non habent molis proportionem, unà cum te-
nuiori sulphuris portione, partim dissipantur
ignis beneficio, partim illibatâ remanent for-
mâ: atque hinc est cur tartaruim calcinatio-
nis tempore tantam ponderis jacturam patia-
tur, calcinatum dùm aquis affunditur fer-
mentescat, & solutione nec non calcinatione
indigeat, ut exrraneæ partes terreæ atque sul-
phureæ indissolubiles separentur.

Cæterum quod de generatione salis tartari
fixi Alkalini dictum fuit, illud idem intelligi
debet de fixatione nitri, de calcis generatione,
& de omni calcinatione plantarum, quæ sim-
plici factâ concrematione, & cinerum lixivia-
tione, verum suggerunt sal fixum Alkalium.
Alkalinorum salium volatilium generatio, abs-
que igne, sed mediâ fermentatione naturali,
fieri consuevit in animantium sanguine, qua-
tenus ingesta alimentorum acida diversæ mo-
lis, ita sanguinem ingrediuntur, ut non nulla
terreis atque sulphureis partibus jam expansis
statim occurrant, ipsisque ligentur, modo supe-
rius

rius explicato ad salis fixi Alkalini generatio-
nem, non-nulla verò acida alia jam genitis
occurrunt Alkalibus, quibuscum fermentes-
cunt, salsaque dein producunt, de quibus in
sequenti capite: adeò ut cùm continuus fiat
acidorum affluxus in sanguinem, istaque acida
diversam habeant molem, debet sanguis, quām-
diù vivit animal, continuò fermentescere, no-
va semper Alkalia producere, salsaque recremen-
ta suggerere; adde ab ingestis alimentis non
acidis inodò, verùm etiam terreas, sulphureas,
aquosasque partes continuò suggeri, quæ om-
nia suo modo concurrunt ad fermentationem,
& ad salium Alkalinorum salorumque gene-
rationem.

Neque dicas Alkalina salia quotidiè genera-
ri in propriis typis ex concrescente primo Ele-
mento; etenim illud repugnat experimentis
jamjam recensitis, & rationi penitus obversa-
tur; siquidem tametsi concresceret materia pri-
mi Elementi in variis typis ad sal Alkalinum
generandum, istud, utpotè scabrum & rigi-
dum, non posset è typo exire, quod absolute
necessarium esset.

Tertia pars definitionis, scilicet *scabram & inae-*
qualem esse salis Alkalini superficiem, ex omnibus
illius proprietatibus manifestè deducitur. Etenim
primo constat, sal Alkalinum linguæ admotum
irritationis sensum excitare, sed non posset illud
præstare, nisi dum subit papillas linguæ cer-
tani dilacerationem patueret, nec profecto ta-

lem dilacerationem parere posset, nisi cum figura oblonga & rigidâ scabram haberet superficiem. Ergo quemadmodum ex simplici & æquali punctionis sensu, quem excitant acida, eorum perpolita superficies deducitur, ita similiter ex punctionis & rofionis sensu, quem Alkalina salia in organo gustus excitant, illorum superficies scabra recte colligi potest. Eodem igitur modo se habent salia, tum acida, tum Alkalina, dum papillas linguae subeunt, quo duæ aciculæ, quarum una esset politæ, altera vero asperæ & scabréæ superficie, dum perforant chartam papyraceam, aut corpus aliud solidum; una enim perforat tantum, alia vero simul perforat & dilacerat; sic acida ob superficiem perpolitam perforant tantum, Alkalina vero salia ob superficiem scabram perforant & dilacerant.

Secundò Alkalina salia id habent singulare, ut humido aëri exposita, vel modico phlegmate irrorata, longè facilius aliis concretis salibus dissolvantur; quia scilicet interstitia Alkalinorum salium, ut potè minus stricta, faciliter dant aditum particulis aquæ; ideo autem eorum interstitia sunt minus stricta, quia dum aliæ aliis concretæ Alkalinorum salium partes subjacent, non per æquales & politas, sed per inæquales & asperas superficies sese tangunt.

Tertiò inæqualis & aspera Salium Alkalinorum superficies, ex inductâ ab affusis acidis fermentatione deducitur, quia dum acida, una

cum primo Elemento subeunt salium Alkalino-
rum interstitia , in omnem sensum reflectintur,
quod non fieret , nisi multas & varias in singu-
lis salium Alkalinorum partibus inæqualitates
reperirent.

Quartò idem probat innata salibus anima-
lium Alkalinis volatilitas , quæ major est Aci-
dorum salium Volatilitate : etenim eâ potissi-
mum ratione Acida nitri , salis , atque Vitrioli
non possunt sublimationis beneficio summa
vasorum petere , quia propter lævigatam , quæ
donantur superficiem , eludunt actionem ignis ;
contrà verò Alkalia animalium Salia Volatilia
vasorum summa petunt , quia propter asperi-
tatem superficie talèni patiuntur ignis actionem ,
ut excuti & sursùm efferri possint.

Plurima tamèn alia reperiuntur Alkalina
salia , quæ tametsi validissimo exponantur igni ,
sursùm efferri nequeunt , cujusmodi sunt sal
fixum tartari , & lixiviosa quælibet plantarum
salia ; quod deducendum existimo ex crassiori
istorum salium mole , quæ tanta est ut ta-
metsi undequaque impellantur ab igne , illorum
partes fundi quidem , nunquam verò ab invi-
cèm separari , & sursùm elevari possint : quæ
omnia ut clariùs percipientur , advertendum
est ignem vulgarem , non nisi certæ molis &
determinatæ magnitudinis corpora exagitare
posse , atque dividere , non-nulla verò firmiora
relinquere intacta ; ità videmus aurum , ar-
gentum , cuprum , & præsertim ferrum , nullæ

simpli ignis torturâ liquari posse, & multo
minùs sursum elevari.

Acida inter & Alkalina salia non nulla repe-
riuntur, quæ tantam habent molem atque
crassitatem, ut nullo modo possint, etiam ab
igne vehementissimo sursum efferti, adeoque
fixa dicuntur; alia interim sunt cùm Acida,
tùm Alkalina salia, quæ cum minorem ha-
beant molem, admoto igne facile sursum
elevantur, undè volatilia dicuntur: hæc autem
inter salia Volatilia, cæteris paribus, Alkalina
facilius Acidis excutiuntur è propriis mixtis,
& ad majorem vasorum altitudinem efferri
possunt, quia propter scabram superficiem
facilius, & pluribus in locis impetuntur ab
igne: quod certè explicari non posset, si habe-
retur tantum ratio molis salium. Etenim cùm
salia Alkalina ex Acidis, Terreis, atque Sul-
phureis partibus componantur, debent esse
semper Acidis crassiora; adeoque admoto igne
difficilius quàm Acida possent sursum efferti
& elevari; quod tamèn quotidianis Chymico-
rum experimentis repugnat; adeoque habitâ
ratione molis, sunt quidèm alia aliis volati-
liora, sed semper habitâ ratione superficerum
Alkalina salia erunt magis Volatilia quàm
Acida, undè colligere possum Acida perpoli-
tam, Alkalina verò salia scabra in habere super-
ficiem.

Quintò Alkalina salia, dividendo sulphura;
vestium sordes detergunt, undè quoque colli-

gimus scabram esse salium Alkalinorum superficiem; cùm enim Alkalina salia in aquis soluta liquiditatis motu feruntur intrà ramosulphurum, ejusmodi ramos fimbriatum dilacerant, eodem prorsùs modo quo papillas linguae dilacerare diximus. Ergò à primò ad ultimum ex suprà dictis concludere licet, sal Alkalinum ex acidis, terreis, atque sulphureis partibus, strictè invicèm colligatis ità componi, ut insensibiles illius partes scabram & inæqualem habeant superficiem: quod præsenti Capite probandum susceperam. Nunc ad salsa accedamus. Adeoque sit



CAPUT SEPTIMUM.

DE

*Salum Salsorum natura, genesi,
& proprietatibus.*

SAL Salsum in genere dicitur illud, quod ex Acidis Alkalinisque Salibus ità componitur, ut partim scabram, partim levigatam habeat superficiem, triplex autem est illius species, nempè perfectè Salsum, Salso-Acidum & Salso-acre: perfectè Salsum ex æqualibus Acidis & Alkalinis constat Salibus, nullam ab affusis Acidis, neque Alkalinis corporibus fermentationem suscipit, nullam tincturis cœru-

leis sensibilem colorum mutationem infert, & lingue admotum ita papillas subit nerveas, nervosque vibrat, ut efficiat sensationem omnino diversam ab eâ quam degustata seorsim Acidâ & Alkalina Salia producere solent. Salso-Acidum ex pluribus Acidis quam Alkalinis constat Salibus, præcipuas Acidi proprietates retinet & facilius quam Acida simplicia non nullorum corporum dissolutionem promovet; ita videmus v. g. Aquam regiam vulgarem ex quatuor spiritus nitri partibus & unicâ Salis Ammoniaci parte compositam, liquidum constitutere Salso-Acidum moliendæ auri dissolutioni aptissimum, quod quidem simplex spiritus nitri acidus præstare nequit, quodque tribui debet majori Salso-Acidarum quam Acidarum partium moli. Sal Salso-acre ex pluribus Alkalinis quam Acidis Salibus conflatur, adeoque constanter retinet præcipuas Saliūm Alkalinorum proprietates.

Salia Salsa majorem habent aliis Salibus molem, cujus ratione non nullos producunt effectus; ita v. g. perfectè Salsa, cujusmodi sunt Tartarum Vitriolatum & Sal Marinum, si propinentur, propriâ tantum mole, & absque ullâ susceptâ fermentatione, sanguinem dividunt, dum lege circulationis varia perlustrant humani corporis yasa. Salso-acria verò in sanguinem dupli ratione agere possunt, tūm scabram magis quam lavigatâ superficie, sulphura dividendo, vel cum Acidis fermentando; tūm

majori mole humores liquando. Cæterum quamquam triplex tantum Salsorum species recenseri soleat, multiplex tamè esse potest, pro variâ Acidorum cum Alkalini Salibus unitorum numericâ proportione; itâ v. g. si cum unicâ Salis Alkalini particulâ duæ jungantur partes Acidæ, Sal quidem erit Salso-Acidum, sed multò Acidius, si tria, quatuor, aut quinque jungantur Acida cum unicâ Salis Alkalini particulâ. Idem dicendum censeo de Salso-acri, quod, ut opinor, vel leviter attendentî fatis patet. Nunc Salsorum generationis modum perpendamus.

Quandoquidem omnia Salsa ex Acidis & Alkalini Salibus componi nemo diffitetur, (illud enim plurima probant experimenta suo loco recensenda) cùmque exinde necessariò sequatur extimam Salsorum omnium superficiem partim lœvigatam, partim scabram esse, id unicum circa illorum genesim venit examinandum, nempe quâ ratione fieri possit, ut simûl intimè jungantur Acida cum Alkalini Salibus. Quod ut intelligatur, notandum statim videtur Salsa duplii potissimum modo generari, videlicet vel mediante simplici liquiditatis motu, vel præviâ fermentatione; prioris exemplum habemus in compositione aquæ regiæ vulgaris, posteroris verò in Tartari Vitriolati præparatione. Cum componitur aqua regia, acidus nitri spiritus affunditur pulverato sali Armoniaco, vel mariño, vel gemino: tunc sensim ac sine sensu

totus ab ejusmodi spiritu Acido-Salino , absque
ullâ fermentatione dissolvitur pulvis , & exinde
emergit Salfo-acidum liquidum , quod aqua
regia idcirco vocatur , quia aurum metallorum
regem dissolvere potest , cùm autem in omni
simplici Salium dissolutione , flexiles & elasticæ
aquosæ partes subeant dissolvendorum corpo-
rum interstitia , cùmque dein , ut superius
probatum fuit , circà rigidas Salis particulas
inflectantur , colligo in ejusmodi Salsorum ge-
nerationibus , quæ simplici salium dissolutione
fieri solent , Acida & Alkalina salia uniri simul
per immediatum contactum , secundum pro-
ptiam utriusque salis longitudinem , eaque
mediantibus Phlegmatis partibus invicem ligari .
Tartarum autem Vitriolatum est sal perfectè
falsum , quod non nisi præviâ acidorum spi-
ritus Vitrioli cum alkalinis olei tartari salibus
fermentatione generari solet ; quia quæ super-
sunt à fermentatione integra salia , secundum
longitudinem invicem uniuntur , & mediante
sulphure ligantur . Idem contingit in plurimo-
rum salsorum generatione , in quibus successivæ
fermentations & salsorum generationes tamen
diù perseverant , quām diù novum quod affun-
ditur acidum alkalino occurrit sali , idque
facile observare licet , cùm suprà liquorem
alkaest , sive liquorem nitri fixi alkalini , acidus
nitri spiritus guttati affunditur , etenim ex
quâlibet guttæ affusione , primùm fit ferimen-
tatio , dein finitâ fermentatione coagulatio ,
denique

denique in vasis fundo veri nitri regeneratio : non potest autem simplici misturâ acidorum cum alkalinis salibus salsum illud regenerari , nisi hæc duo salia intimè jungantur , nec ita intimè uniri possunt , nisi mediante sulphure hæc salia simùl ligante , ea autem ligari à sulphure probat regenerati nitri inflammabilitas , quæ ex eo fit quod sulphur anteà in liquore alkaest & spiritu nitri minimè inflammabilibus penitus intricatum , deìn media fermentatione extricatum & expansum , tandem post fermentationem propriâ vi elasticâ se restituens singulas novi salsi particulas involvit . Præterea sulphur ad salsorum ejusmodi generationem concurrere , abundè probat acetum vulgare , quod salso-acidum est , quodque ex vino acido atque sulphureo conficitur , quoties partibus acidis atque sulphureis tartareo vini partes præmissâ fermentatione intimè junguntur . Etenim quotidie observatur maximam sulphurei vini molem simplici additione tartari , & absque ullâ sensibili sulphurearuim vini partium dissipazione , in acetum converti . Quod certè explicari non posset , nisi sulphur ad salsorum generationem concurreret . Nunc salsorum proprietates sigillatim examinemus .

Ac primò quidem illud habent cum omnibus salibus commune salsa quælibet , ut aquis affusa solvantur in partes integrantes non-nulla tamèn scilicet crystalli tartari , reperiuntur salsa , quæ non nisi in aquâ calidâ & ebullienti dissol-

vuntur : cuius rei ratio esse potest tūm quia sulphura horumce salorum compositionem ingredientia crassiora & viscidiora sunt , tūm quia integrantes harumce crystallorum partes tantam habent molem & gravitatem , ut simplex frigidæ aquæ motus nec illas ab invicem disturbare , nec suspendere valeat ; atque hinc est cur crystalli tartari in aquâ bullienti solutæ præcipitentur quâ proportione frigida redditur aqua , nisi ebullitionis tempore additum fuerit sal fixum tartari alkalimum , cum quo salso-acidæ crystalli tartari solutæ partes fermentescunt , & mediâ fermentatione partim dividuntur in minores moleculas , partim verò finitâ fermentatione vertuntur in novum sal salso-alkalimum . Tertium quod exinde emergit sal vulgò vegetabile nec non tartarum solubile dicitur , quia vel in aquâ etiam frigidâ facile dissolvitur .

Secundò degustata perfectè salsa compositam ex aciditate & acritudine sensationem parunt ; quia ut superius probavimus , singulæ integrantes illorum partes eam habent superficiem , quæ tam ex unâ parte æqualis est & perpolita quam ex alterâ inæqualis & aspera . Neque obstant sulphurum rami salsa implicantes , quominus partim lœvigata , partim aspera sit istorum superficies ; siquidem omne sulphur , ut potè naturaliter flexile & perpolitum , actionem quidem salium variè modificat , sed nusquam penitus impedit , nisi maximâ &

exuberanti copiâ reperiatur ; ut videre eit
in degustatâ animantium pinguedine , quæ ta-
metsi sale constet alkalino , prorsùs diversam
à simplici alkalino sale sensationem producit ,
quia istud sal nimiâ sulphurum copiâ invol-
vitur in ejusmodi pinguedine.

Tertiò quoniam salia perfectè falsa , utpotè
composita ex acido & alkalino sale , crassio-
ribus constant in moleculis , & ampliora quām salia
simplicia nec non patentiora relinquunt in-
terstitia , debent ejusmodi falsa nullam ab
acidis nec ab alkalinis liquidis affusis fermenta-
tionem suscipere ; siquidè ad fermentatio-
nem suscipiendam deberent affusa acida vehe-
menter rapi intrà textum falsorum à solâ
prīmi Elementi materiâ , sed cùm interstitia
patentiora & ampliora reperiantur , acida pro-
miscuè cum materiâ æthereâ prædictum salso-
rum textum subeunt , simplicique liquiditatis
motu & absque ullâ inditâ fermentatione
falsa dissolvunt : similiter ut perfectè falsa cum
novis alkalinis liquidis fermentescere possent ,
deberent illa rapi à primo Elemento intrà
textum alkalinorum , quod fieri non potest
propter nimiam salsarum partium crassitatem ,
quâ sit ut neque cum materiâ subtili neque
cum fluido æthereo alkalina subintrent inter-
stitia . Quod sanè quotidianâ confirmatur ex-
perientiâ . Videmus enim tartarum Vitriolatum ,
sal Armoniacum , marinumque intacta
relinqui ab affusis alkalinis liquidis , dissolvi

verò ab acidis absque ullâ fermentatione.

Quartò ex eâdem molecularum crassitie facile deducitur, cur salia perfectè salsa nullam tinturis cæruleis colorum mutationem inferant; cùm enim non possint ejusmodi salsa proprium subire textum partium integrantium floruin malvæ v. g. solutarum in aquis, istæ naturalem cæruleum colorem conservare debent. Aliæ quidem sunt salium salso-acidorum & salso-alkalinorum proprietates, quæ quoniām eâdem fermè sunt ac proprietates acidorum & alkalinorum simplicium seorsim sumptorum, si diversa Salsorum moles excipiatur. Ex suprà dictis eas quisque facilè deducere poterit.



CAPUT OCTAVUM.

DE

Sulphurei Principiis seu Olei naturâ, genesi, præcipuisque illius differentiis.

QUEM A D M O D U M Terram vulgarem quam pedibus calcamus à Terreno Princípio distinguendam esse suo loco dictum fuit, ita Sulphur vulgare à Sulphureo Princípio seu Oleo, de quo nunc tantùm agimus, cautè distingui debet, quodque definiri potest mixtorum

omnium Principium, liquidum, congelationi aptum & inflammabile, cuius partes insensibiles ramose sunt, flexiles, & elasticae.

Dico primò Sulphur seu Oleum esse mixtorum omnium Principium, liquidum, congelationi aptum & inflammabile. Quia illud ab omni mixto analysi Chymicæ subjecto liquidâ plerumque formâ educitur, frigidissimo hyberno aëri expositum congelatur, & igni admotum illicò acceditur. Generico liquiditatis nomine convenit Oleum cum aquâ & spiritu, est tamen viscidius leviusque aquâ, multò autem gravius spiritu. Plerumque etenim Sulphur aquæ supernatat & immersitur spiritibus quibuscum permisceri nequit, congelationem habet cum aquâ communem sed minus fermam, & per illam distinguitur ab omni spiritu. Porrò per inflammabilitatem distinguitur Sulphur ab omni alio Principio; quodcumque enim corpus, quod comburitur & inflammatur, Sulphureo constare Principio negabit nemo vel leviter in Chymicis versatus. Præcipui autem in mixtis Sulphuris usus sunt, ut nimia impediatur Salium activitas, debita ac propria unicuique mixto concilietur firmitas, nec non ut mixta aliutijs conserventur. Etenim primò nisi expansum & rarefactum Sulphur in sanguine humano cohiberet nimium Acidorum & Alkalinorum Salium concursum, tanta excitaretur fermentatio, ut tota citò corrueret hominis œconomia, quod in febribus colliquativis quotidie

advenit, præsertim in phthisi. Hinc est cur in ejusmodi morbis diuturnus præscribatur lactis usus, ut novum sanguini suppeditetur Balsamicum Sulphur. Hinc etiam est cur in arte Chirurgicâ usurpentur topica Sulphurea ad demulcendam humorum acrimoniam qui sordida ulcera pariunt ac fovent. Secundò Sulphur debitam ac propriam unicuique mixto conciliat firmitatem, quatenus illius partes connectit; nam sublato Sulphure nimia esset in corporibus Salinis fragilitas, in Terreis friabilitas, & in aquosis Salsis liquiditas. Hinc alter haud magno labore deducitur ejusdem Principii usus in mixtis, videlicet quod ab injuriis tempestatum ac temporum imminuria remaneant & diutiùs conserventur; ut videre est in lauro, cypresso, aliisque multis arboribus, quæ hyberno etiam tempore viridescunt atque frondescunt. Præterea Sulphur ad Alkalinorum, Salsorumque Salium generationem conferre superiùs probatum fuit. Ex quibus omnibus abundè patet prima pars definitionis, nempe Sulphur de quo hic loquimur, verum esse mixtorum omnium Principium, liquidum, congelationi aptum & inflammabile.

Dico secundò insensibiles Sulphuris partes ramosas esse. Quod patet ex summâ difficultate quâ è corporibus quibus adhærent divelluntur. Videmus enim Sulphureas linteorum maculas non aëris motu, non aquarum detersione, sed saponis corrosione vix elui posse. Videmus etiam Sulphureas sanguinis partes ita

firmiter adhærescere omnibus aliis ejusdem sanguinis Principiis, ut ne peritissimo quidem Chymico hactenùs datum fuerit Sulphur illud sanguineum ab omni alio Principio penitus separare. Videre etiam licet Olea plantarum tamen firmiter aliis adhærere principiis, ut tametsi quindecies distillata diversas semper suppeditarent substantias, ut saepius experta est celeberrima Parisiensis Regia Scientiarum Academia. Quæ quidem omnia, & similia constanter observantur in arte Chymicâ, quibus luculenter evincitur Sulphureum Principium omnibus aliis principiis atque mixtis corporibus firmiter adhærere; atqui non posset cum innatâ partium flexibilitate inferiùs probandâ, tamen firmiter adhærere corporibus, nisi diversis prorsus modis singulæ illius partes inflecentur & intorquerentur, nec ita infecti, intorqueri & uniri diversimode possent, nisi variis constarent ramis. Hinc colligere licet singulas insensibiles Sulphurei Principiæ partes ramosas esse. Quod erat probandum.

Dico tertio *flexiles esse Sulphuris partes*. Quia calido aëri expositæ liquiditatem servant, hiberno tempore congelantur, insipidæ sunt, & intimos panni aliorumque corporum poros facile subeunt; quibus argumentis partium aquofarum flexibilitatem suo loco demonstravimus. Præterea ab affusis Acidis Sulphur coagulatur, & ad Alkalinorum Salsorumque Salium genus concurrit, quod quidem præstare nequit nisi variâ insensibilium suarum partium inflectio-

ne, undè concludere licet ramosas Sulphurei principii partes esse flexiles. Sed ut clarius hæc pateant *inspice figuram nonam*, quæ insensibiles quatuor Sulphuris partes ramosas & flexiles tūm congelationis tūm liquiditatis tempore exhibet. A B C D expansas & congelatas, E F G H inflexas & liquidas easdem repræsentant. Undè haud immerito hujusmodi partes comparari possunt exiguissimis arborum ramis qui vel levi spirante aurâ undequāque flectuntur, vel exiguissimis avium pennis ab utroque latere hirsutis atque villosis, quæ ita inflecti possunt, ut quislibet ramus parvum, caulis verò majorem alios involventem circumficiant.

Dico quartò *insensibiles Sulphuris partes elasticas esse*. Quia compressione vel inflectione primùm è connaturali situ deturbatæ, immīnutâ dein vi comprimente vel inflectente ad naturalem situm sese restituunt. Inflectuntur enim à materiâ æthereâ quādiū liquidæ sunt, cùm liquiditas, ut diximus, non aliundè quām à materiâ æthereâ corporum partes undequāque comprimente oriatur, dein immīnutâ materiæ æthereæ compressione restituunt sese & congeulantur. Videimus etiam Sulphur sive Oleum in utre contentum compressione deprimi, & cessante compressione ad pristinum statum sese restituere. Sed quoniam pro variâ partium insensibilium flexibilitate, major aut minor est elastica corporum virtus; asserere possumus, minorēm

minorem esse Sulphuris quam aquæ aut aëris virtutem elasticam, quia longè major est suarum partium flexibilitas. Hinc sit ut partes Sulphureæ lentius partibus aquæ & aëreis se restituant, & cur congelatum Oleum minus solidum glacie nec vasa disrumpat, nec subjecta pondera adeò sensibiliter elevet, nec alia id genus præster, quæ in Phlegmatis congelatione & aëris restitutione observantur.

De Sulphurei Principii Genesi, hoc unum dicam, scilicet in propriis interioris terræ typis generari, ex concretione materiae primi Elementi, eodem prorsus modo quo cætera Principia generantur. Neque ramosa partium figura impedit quominus è propriis typis facile egredi concipiatur, si ad illarum flexibilitatem, perpolitam superficiem, & elasticam vim attendatur: quainobrem *decimam respice figuram ramosum typum A B C D* repræsentantem, in quo concreta materia primi Elementi E ramosum Sulphur F efformavit exterius primò perpolitum, quia internæ typi cavitates æqualem habent superficiem, secundò flexible propter angustiam spiraculorum ejusdem typi quæ in *Primâ figurâ* videri possunt, cum verò indesinenti fluxu movetur materia primi Elementi E *figuræ decimæ* ab A B C versus D, debent concreti rami in cavitatibus A C propelli versus D, nec non è typo integro & illibato per aperturam D egredi cum proprio cui adhærent trunco B D. Sic insensibilis Sul-

phurea pars F formatur, cuius rami in cavitate B paululum compressi, ut primum in cavitatis egressu cessat compressio, propriâ vi elasticâ restituuntur, haud parum dissimili ratione quâ videmus exiguissima calami filamenta manibus tractata & digitis paululum compressa, cā proportione restitui quâ successiva filamento rum compressio definit. Quod de Sulphureâ parte F duplici ramo instructâ dicitur, idem intelligi debet de quâlibet aliâ quatuor, vel sex, vel octo decemve ramis instructâ ut G H I K L repræsentant, rami autem cujuslibet particulæ Sulphureæ alii sunt crassiores, alii tenuiores, quidam longiores, quidam breviores, idque pro diversitate typorum in quorum cavitatibus concrevit primum Elementum.

Sulphurum differentiæ non modò ex ramorum diversâ magnitudine atque crassitie, verùm etiam ex diversâ eorumdem Sulphurum cum aliis Principiis permixtione deducuntur. Hinc diversi generis oriuntur Sulphura, quorum alia dicuntur volatilia, alia fixa, & alia essentialia. Sulphur Volatile, ut v. g. rorismarini oleum, liquiditatem præ se fert, & in ipso distillationis initio vel ante Phlegma, vel Phlegmati innatans fluit. Fixum Sulphur non nisi diuturno & vehementi ignis motu è mixtis edicitur variasque accipit denominationes pro variâ illius consistentiâ, si eniui sit solidum & siccum Resina, si viscosum Balsamus, si Resinâ & Balsamo liquidiùs. Oleum fixum denominatur,

Sulphur esseⁿtiale est illud quod ex olivis, nucibus, amigdalⁱs aliisque fructibus aut seminibus exprimi solet.

In stabiliendis Sulphurum differentiis cautē notandum mihi videtur non-nulla reperiri corpora quæ seu Olei, seu Lactis, seu Butyri nomina usurpant, rametsi nullatenūs Sulphurea sint; ut v. g. Oleum tartari per deliquium, Vitrioli Oleum glaciale, Lac Saturninum, & Butyrum antimonii. Etenim Oleum tartari per deliquium, nihil aliud est quām Sal fixum Alkalimum tartari modicā Phlegmatis copiā solutum. Vitrioli Oleum glaciale ex acidis, tantūm Vitrioli, & integrantibus ferri vel cupri partibus constat. Lac Saturninum constituunt Acida aceti & integrantes plumbi partes. Butyrum Antimonii, quod etiam Oleum glaciale dicitur, ex acidis sublimati corrosivi & integrantibus stibii partibus componitur; & sic de cæteris, quibus Chymicoru^m vulgus ob colorem & viscositatem Sulphuris nomen indidit, sed impropriè, ne dicam male; cum non habeant essentiales Sulphurum proprietates, scilicet ad concrescendum & inflammandum aptitudinem; de qua dupli^c aptitudine pauca subjungere placet.

Potest autem multiplici modo liquidum Sulphur concrescere, scilicet congelatione, acidodorum affusione, Phlegmatis defectu, spirituofarum partium dissipazione. Primo Congelatione, quæ fit ramosarum flexibilium &

elasticarum partium expansione , seu earumdem in connaturalem longitudinis & rectitudinis situm restituzione , cui dat locum vis imminuta materiæ æthereæ eas liquiditatis tempore inflectentis & undequâque comprimentis . Secundò Acidorum affusione , quia Acida dum cunei instar intimas liquidi Sulphuris partes subeunt , eas inflexas implicatasque extendunt , erigunt & evolvunt , ut in lactis coagulatione contingit . Tertiò Aquosarum partium defectu , ut patet ex sapone , qui dum præparatur aquarum vaporatione concrescit , dum in usum vocatur aquarum accessione liquefcit , concrescit autem aquarum vaporatione , quia nimirum fixa Alkalina salia quibus constat aquis destituta subsidunt , pondere suo Sulphureas partes quasi compressas detinent , & rigiditate suâ impedit ne Sulphureæ partes inflectantur . Quartò Spirituum dissipacione , ut patet ex sanguine cuius Sulphureæ partes crassiores subsidunt & coagulantur quoties animales deficiunt spiritus , qui cum Alkalini fermentando sanguini liquidatem tribuunt . Ex quibus concludi potest , non omnes liquidi Sulphuris coagulationes ab acidis oriri , siquidem sapo , sanguis , animantium pinguedo , &c. acidis destituta concrescere constat .

Cùm in eo præcisè ignis natura posita sit , ut insensibiles combustibilium corporum partes à primo cui innatant Elemento ità vel in gyrum agantur , vel ultrà modum vibrantur ,

ut per lineas rectas secundi Elementi globulos undequaque propellant ; colligere licet Sulphur triplici potissimum ratione concurrere ad ignem producendum. Primò quia inflexos inter cujuslibet particulæ Sulphureæ rainos maxima reperitur primi Elementi copia. Secundò quia eorumdem rainorum interstitia sufficienter patent ad cæteras jāmjām inflammatas , & ab extrinseco accedentes particulas sinu suo recipiendas. Tertiò demum quia Sulphura semel in motum acta , propter plicatilem & ramosam quā donantur formam , facile alias priùs immotas sed sibi alligatas partes trahunt & abripiunt.

Tametsi Sulphur absolutè necessarium sit ad ignem producendum & conservandum ut mox dixi , cùm insensibiles illius Principii partes flexiles sint , numquām posset ignis solidissimos materiæ æthereæ globulos undequaque propellere ad lumen producendum , nec vehementer impetere solidas corporis nostri partes ad dolorificum caloris sensum excitandum , nisi ramosum & flexible illud Principium plurimas secum strictè connexas haberet salium particulas. Etenim salia inflammabilitati favendæ conferunt , quia ob rigiditatem Sulphuribus aptiora sunt ad circumstantia corpora procūl ab igne vehementer expellenda : hinc est cur ligna putrida vel diutiùs aquis immersa , utpotè propriis denudata salibus , debiliorem tūm flammam tūm ignem producant , citiusque in cineres convertantur.



CAPUT NONUM.

DE

Spiritu sive Mercurio.

SPIRITUS sive Mercurius definiri potest Principium constans ex tenuioribus mixti partibus essentialibus, quæ à crassioribus liberatae tantâ liquiditate donantur, ut frigore congelari nequeant. Quam definitionem ut pro more consuetto probeimus.

Dico primò Spiritum sive Mercurium *Principium esse*, quia proximè & immediatè mixtorum compositionem ingreditur, plurimarumque proprietatum fons & origo est; quod ex Chymicâ vegetabilium, mineralium & animalium analysi facilè deduci potest: etenim si ex vegetabilibus vinum, v. g. mel, cerevisia &c. Si ex mineralibus Vitriolum, alum, sal gemmeum &c. Si ex animalibus sanguis, Iotum, bilis, ossa carnes &c. distillentur, hæc omnia mixta fundunt Spiritus. Ergò Spiritus sive Mercurius proximam mixtorum compositionem ingreditur. Quod autem sit non-nullarum proprietatum fons & origo, id non modò deducitur ex peculiari singulorum corporum odore, quem tenuiores illorum partes producunt, verùm etiam ex eo quod citius pereant.

mixta quæ volatiliores & copiosiores habent Spiritus.

Dico secundò istud Principium tantâ liquiditate donari, ut frigore congelari nequeat. Per quod facile distinguitur Spiritus ab omni alio Principio, siquidem Phlegma & Sulphur hyeme congelantur, terrea salinaque moles solidescit. Solus est igitur inter Principia Spiritus, qui tantâ liquiditate donatur, ut frigore congelari nequeat: quâ de re si dubites Spiritus volatiles Alkalinos Cranii humani, Viperrarum, sanguinis &c. Acidos nitri, Salis, Vitrioli &c. Acido-Sulphureos vini & therebintinæ seorsim hyberno aëri frigidissimo exponas, & videbis Mercurium innatâ liquiditate longè superare reliqua Principia. Hanc autem summam liquiditatem servant, dupli potissimum ratione; primò quia omnes illorum partes cum exiguissimæ sint, tām facile à materiâ æthereâ exagitantur, ut vel numquā vel non nisi summâ difficultate concrescant; Secundò quia partes Spirituum Sulphureorum præter exiguitatem ita sunt rarefactæ, ut maximam materiæ æthereæ copiam contineant, undè ætherei dicuntur Spiritus. Partes verò Spirituum salinorum utpotè aliis solidiores inditum à materiâ æthereâ motum diutiùs retinent, undè rarissimè accidit ut congelentur.

Ut stabantur præcipuæ istius Principii differentiæ, debent Spiritus sub dupli respectu considerari, vel habitâ ratione partium

componentium, vel habitâ ratione modi, quo educuntur è mixtis. Primò si ratio habeatur partium componentium, vel dominatur Sulphur, & tunc Spiritus dicitur Sulphureus, pinguis, inflammabilis & æthereus ut Spiritus vini, therebintinæ &c, vel sal Phlegmate solutum luxuriat, & tum dicitur salinus & macer ut Spiritus sanguinis, urinæ, modò acidus ut Spiritus nitri & salis, modò salino-sulphureus, salso-acidus, vel salso-alkalinus, pro variâ salium cum sulphure vel diversorum salium inter se mixturâ. Si ratio modi quo Spiritus educuntur è mixtis habeatur, alii dicuntur volatiles qui vasorum sumnia petunt, ut Spiritus vini, sanguinis & urinæ; alii verò fixi qui non nisi vehementi ignis torturâ exutiuntur è mixtis, cujusmodi sunt Spiritus aluminis, nitri, salis &c.

Non abs re erit per transennam hîc adverte-re, spiritus volatiles sicùt & salia plerumque quidem ut spiritus sanguinis, cornu cervi &c. Sed non semper & essentialiter, ut non-nullis placet, Alkalinâ donari naturâ. Etenim nihil vetat quominus Spiritus simûl volatilis sit & Acidus ut formicarum Spiritus, vel volatilis & Acido-Sulphureus ut Spiritus vini. Idem sen-tiendum existimo de fixo Spiritu, qui tametsi plerùmque Acidus sit, potest tamèn esse Alka-linus, quia sola fixitas volatilitati, & Aciditas acritudini opponuntur.

Neque dicas cum non-nullis Spiritum sive

Merc

Mercuriū non tām esse peculiare mixtorum Principium, quām Principiorum congeriem, verumque mixtum ex Salinis, Aqueis atque Sulphureis partibus coīpositum. Etenim sū in stabiliendis proximis mixtorum Principiis habenda esset ratio simplicitatis, nullum posset admitti verum Principium, quia tām exiguis limitibus est coarctata Mortalium industria, ut corpus simplex & incompositum sensibus subjicere nequeat. Hinc est cur Phlegma, Sal, Sulphur, & Terra licet cōposita seīper eductantur, sunt tamē proxima mixtorum Principia. Imò quodlibet Sal Alkalīnum ex Acidō, Terrā, atque Sulphure componitū, & tamē inter plurimorum mixtorum Principia recensētur. Quid ni ergo Spiritus quamquām ex Sale, Aquā & Sulphure compositi verum mixtorum Principium constituere poterunt? Quod quidem eò faciliūs mihi concedendum puto, quò dūm agebam de Principiis in genere, demonstravī id esse discriminis Elementa inter & Principia, ut illis simplicitas, istis verò coīpositio maxime competeret. Itaque Spiritus seu Mercurius non quidem inter Elementa, sed inter proxima mixtorum Principia meritò referti debet.

De Spirituum Genesī non est cur multa dicere, cum satis per se pateat in etiā fermentatione nec non digestione plerūque generari. Videimus enim mustum, mel & cerevisiam, si antē debitam fermentationem distillentur, in axiā quidam Sulphuris, Salis, Aquæ, & Terreni Pria-

cipii copiam suppeditare: secus evenit si prægressâ fermentatione distillationi mandentur, tunc enim copiosos suggerunt Spiritus Volatiles Salino-Sulphureos. Idem ferè contingit fixis Salinisque Spiritibus, qui non nisi præviâ mixtorum digestione educi possunt; ita videmus Romanam Vitrioli venam (câ quâ Cesalpinus docuit industriâ) liberiori nec non Sereno aëri per sex menses expositam, dein per alios sex menses in cumulos congestam & sub teſto aſſervata in digeri ſeu matureſcere, ut partes Acidæ tenuiores à Terreis atque Sulphureis crassioribus extricatae & Phlegmati junctæ verum poffint conſtituere Spiritum Acidum, qui ratione modi quo dein educitur è Vitriolo, fixus vocatur.

Quæ ſuperiùs dicta fuerunt de Salium Sulphurumque proprietatibus ſufficiunt ad genuinas ſingulorum Spirituum proprietates expli- candas. Etenim quemadmodum Salia pro variâ mole, figurâ & ſuperficie, modò punctionis vel roſionis ſenſum exitant, modò invicem fermentefcunt, modò lactis & ſanguinis coagulationem vel diſſolutionem promovent; ita Spiritus Salini, pro variâ indole Salium quibus componuntur, ſimiles producunt effectus; hoc interim diſcrimine, quod cum tenuioribus conſtent particulis, citius quidem, ſed multò debilius agant quam Salia crassiora ſimpliciter in aquis ſoluta. Dein quemadmodum Sulphur ſeu Oleum pannis adhæret & flam-

main concipit, ita & Spiritus Sulphurei pannis adhærent & flammarum concipiunt, sed ob maximam partium tenuitatem & rarefactionem facilius excutiuntur e pannis & citius igne consumuntur. Atque hæc sunt omnia, quæ de proximis mixtorum Principiis tradere necessarium duxi. Verum antequam huicce Dissertationi finem imponam, haud abs re fore mihi videtur non-nulla summationem exponere de præcipuis Temperamentorum differentiis, quas Antiquiores Medici ex Elementorum mixtione, Novatores autem ex vario Principiorum prædominio proximè deducere conantur. Quod omnes meo quidem judicio minus bene statuunt, ut sequenti capite probandum suscipio.



CAPUT DECIMUM.

D E

Præcipuis Temperamentorum differentiis.

TEMPERAMENTUM in genere definiebant Antiqui proportionem quatuor primarum qualitatum, ex Elementorum mixtione ortam, ad functiones corporis ritè obeundas. Crēdebant enim mixta quælibet corpora ex igne, aëre Aquâ & Terrâ tanquam ex propriis Elementis

O i j

componi, & suam cuilibet Elemento peculia-
rem tribuebant qualitatem, videlicet Ignis
caliditatem, Aëri frigiditatem, Aquæ humi-
ditatem, & Terræ siccitatem: adeoque corpora
quæ tactu percipiuntur calida ex igne potis-
simum conflagari putabant, eaque calido donari
Temperamento firmiter asserebant, & sic de
ceteris qualitatibus, quas primas in omni
mixto vocabant. Ex vario autem unius vel
alterius Elementi prædominio in mixtis, varia
petebatur Temperamentorum diversitas, quorum
quatuor simplicia, quatuor composita, & unum
moderatum numerabant. Temperamentum sim-
plex dicebant illud in quo una tantum ex
quatuor primis qualitatibus scilicet calor,
frigus, humiditas vel siccitas luxuriabat. Tem-
peramentum compositum definiebant illud in
quo duæ simul prædominabantur qualitates,
nempe vel caliditas & humiditas, vel cali-
ditas & siccitas. Moderatum denique Tem-
peramentum vocabant illud in quo quatuor
primæ qualitates ad eam proportionem erant
redactæ, ut nulla alteri dominaretur. Rursus
duplex admittebant moderatum Temperamen-
tum, unum ad pondus, cui mox allatam
Temperamenti moderati definitionem tribue-
bant, aliud vero ad justitiam, in quo primæ
Elementorum qualitates ad eam proportionem
erant redactæ, quæ ad proprias functiones ob-
eundas unicuique parti conveniebat. Etenim
in humano corpore sano ab Antiquioribus

Medicis adimittebantur partes aliæ naturaliter calidæ, ut spiritus, sanguis, cor & hepar; frigidæ aliæ, ut pituita, pilus, atque membranæ; aliæ humidæ, ut cerebrum, spinalis medulla, musculus; aliæ denique siccæ, ut ossa, cartilagines, & tendines. Inter omnes autem humani corporis partes, Temperatissimam esse dicebant externam cutem, præsertim cani quæ in extremis digitorum pulpis residet, ut potè quæ statuebatur omnium Temperamentorum censor & judex. Ex his omnibus partibus diversimodè Temperatis, unicum exurgere dicebant corpus humanum omnium corporum Temperatissimum, quod ex rectitudine functionum præsertim animalium in homine sano deducebant.

Deinde ex variâ sexuum & ætatum ratione varia oriri respectiva Temperamenta ajebant: & primò ratione sexûs fæminam frigidiori & humidiori sive magis pituitoso, marem autem calidiori & sicciori sive magis bilioso Temperamento donari volebant. Secundò ratione ætatuum tot respectiva Temperamenta quoctætes, nempe quatuor admittebant. Etenim ætas prima seu pueritia, quam extendebant à nativitate ad annum vigesimum quintum, calida & humida, sive sanguinea existimabatur. Secunda seu juventus, ab anno vigesimo quinto ad trigesimum quintum vel quadragesimum extensa, censebatur calida & sicca seu biliosa, tertia seu consistens & virilis ætas à trigesimo

quinto vel quadragesimo ad quinquagesimum protracta frigido & sicco seu melancholico Temperamento donabatur. Ætas denique quartâ nempe senectus dicebatur frigida & humida seu pituitosa, & ab anno quinquagesimo ad ultimum vitæ diem protrahebatur.

Dùm in assignandis Temperamentorum differentiis humanum corpus modò calidum, modò frigidum, nunc humidum, nunc siccum vocatur. Illud respectivè & nullatenus absolutè intelligi debet: siquidem absolutè & physicè loquendo nullum potest dari Temperamentum simplex, neque ex frigiditate & siccitate compositum. Omnis enim homo est à naturâ ità comparatus, ut semper calido & humido sive sanguineo Temperamento præditus sit. Primò calido, quia vivifica sanguinis fermentatio calorem necessariò producit. Secundò humido, quia humanum corpus liquidis solidisque partibus intimè conjunctis componitur. Necessarius tamen usus apud Medicos invaluit, ut corpus humanum nunc quasi unico & simplici Temperamento, nunc variis & quasi contrariis Temperamentis affici consideretur. Adeoque præcipuas ab Antiquis jam dudum stabilitas Temperamentorum differentias adinittunt Novatores Medici, quas diverso protus modò explicare tentant.

Hæc enim Temperamentorum doctrina ab Hypocratis Galenique temporibus viguit, usque dum Marcus Aurelius Theophrastus

Paracelsus, Antiquorum Chymicorum facile Princeps, omnia facultatum & qualitatum nomina respuens, nec non vulgata quatuor Elementa rejiciens, nova statuit Principia, scilicet Sal, Sulphur & Mercurium, ex quorum vario concursu omnia oriri Temperamenta contendebat. Unde Recentioribus nata est occasio dicendi *Temperamentum eam esse Principiorum proportionem, ex quâ omnes humani corporis actiones dependent.* Adeoque superius recensitas Temperamentorum differentias ita nunc Novatores explicare conantur, ut pro vario unius alteriusve Principii prædominio humanum corpus modò calidum & humidum sive sanguineum, ex abundantia Sulphuris; modò calidum & siccum seu biliosum, ex Salium heterogeneorum invicem fermentantium prædominio; modò frigidum & humidum sive piritosum, ex luxuriante Phlegmate; modò tandem frigidum & siccum ex maximâ Terreni Principii quantitate esse dicant.

Huic Novatorum Sententiae assentiri nullatenus possum, quia unum idemque Principium potest in variis subjectis vel diversis temporibus modò caliditatem, modò frigiditatem inducere. Ita v. g. sulphur, quod in Temperamento sanguineo luxuriare dicunt, potest quideam caliditatem parere, si tenue, volatile, & salinis extricatis heterogeneis partibus sit refertum, contrà verò frigiditatem parit, si ita crassum & viscidum sit, ut saluum hetero-

geneorum luctam notabiliter imminuat. Dē-
indè non video quā ratione Temperamentum
frigidum & siccum ex terreni Principii præ-
dominio colligi possit : tūm quia in liquido
sanguine nūnquam potest terra luxuriare , tūm
quia remanente eādem terreni Principii quan-
titate , Temperamentum frigidum & siccum à
simplici sulphurum coagulatione & Phlegma-
tis defectu induci posset. Demùm ut paucis
absolvam , nullum est Principium , nullumque
Elementum quod sit essentialiter calidum , aut
frigidum , aut humidum , aut siccum ; sed è
contrà concurrunt omnia Principia ad calidi-
tatem , frigiditatem , humiditatem & siccitatem ,
quatenus sanguini fermentationem , omnibus
humoribus liquiditatem , & solidis vasis firni-
tatem tribuunt.

Maliem ergò Temperamenta aliundè deducere:
cūnque in inquirendâ illorum naturâ quāra-
tur præcisè , quid in corpore temperato sit ,
ratione cuius vel calidum , vel frigidum , vel
humidum , vel siccum censeatur. Operæ præ-
tium videtur definire vulgatas ejusmodi qua-
litates. **Calor** nihil aliud est præter insensibilia
partium gyrationis vel vibrationis motum , frigi-
ditas è contra est respectiva partium quies vel
illarum motus directus magis quam circularis ,
humiditas est intimus liquidorum cum solidis per
insensibiles partes contactus , siccitas è contrâ in-
corumdem liquidorum à solidis separatione con-
sistit. Undè abundè patet Temperamenta non
esse

esse proximè deducenda ex Elementorum mixtione, nec ex variâ Principiorum proportione, sed ex integrantium humani corporis partium motu vel quiete, & liquidorum cum solidis mixturâ, vel liquidorum à solidis separatione. Undè haud ineptè, meo quidem judicio, Temperamentum in genere definiri potest ea quatuor vulgarium primarum qualitatum proportio ex diversâ integrantium humani corporis partium modificatione orta, cuius ratione functiones rite perficiuntur. Est enim Temperamentum in specie Primum calidum, cùm integrantes sed insensibiles humani corporis partes magis succutiuntur atque vibrantur. Secundò minus calidum, seu ut vulgo dicitur frigidum, cùm illius partes vel respectivè quiescunt, vel minus aguntur in gyrum, vel minus vibrantur. Tertio humidum, cùm liquidæ & solidæ illius partes sese mutuò contingunt & quasi invicè confunduntur. Quartò denique siccum, cùm eadem liquidoruim & solidoruim partes ab invicè separantur atque dissociantur.

Idemque paucis immutatis est dicendum de quatuor Temperamentis compositis; quorum primum nempè calidum & humidum seu sanguineum fit, quia insensibiles humani corporis partes simul gyrationis vel vibrationis motu exagitantur, & liquidæ cum solidis intimè miscentur; Secundum nempè calidum & siccum sive biliosum, quia insensibiles partes liquidæ gyrationis, solidæ verò vibrationis motu

aguntur & ab invicem separantur; Tertium frigidum & humidum sive pituitosum, quoties partes insensibiles minus exigitantur, & liquidæ cum solidis intinius miscentur; Quartum denique frigidum & siccum sive melancholicum, quia partes liquidæ solidæque minus moventur, & ab invicem separantur.

Ex omnibus quæ in præsenti dissertatione exposita sunt, facile quicunque concludere potest Principiorum & Elementorum cognitionem esse Medicis absolutè necessariam, & Temperamentorum differentias ex quatuor diversis partium integrantium modificationibus, scilicet motu, quiete, nec non coniunctione, vel separatione esse deducendas.

Ergo

In arte medicâ Principiorum & Elementorum cognition est absolutè necessaria, & præcipua Temperamentorum differentia nec ex Elementorum mixtione ut volebant Veteres, nec ex Principiorum proportione ut asserunt Novatores, sunt deducenda.








ERRATA.

pag. 3. lin. 3. cantharidarum *lege* cantharidum
pag. 9. lin. 5. aquis degant, *lege* aquis vitam
degant,

pag. 14. lin. 31 materiâ *lege* materiæ
pag. 23. lin. 29. destinguitur *lege* distinguitur
pag. 34. lin. 4. quia *lege* quin
pag. 34. lin. 6. impingunt; *lege* impingant;
pag. 51. lin. 19. Principiu. *lege* Principium
pag. 77. lin. 24. in fixum *lege* in sal fixum

АТАЯЯЗ

ad vivum joannis
Bouillet medicina
Italiorum -
in alma medicorum
academia



74